



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

Liber CLXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ
LIBER CLXXX.

CLEMENS VIII. PONTIF. MAXIM.
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Papa a Regina Vidua ad celebrandas
Henrici III. exequias sollicitatus.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

*Lett. du
Card. Ossat.
t. I edit.
holand. p. 52.*

Interea post Henrici III. obitum Regina Vidua ejus conjux Romæ summos Pontifices assiduis precibus fatigabat, ut honores, qui ibidem defunctis Franciæ Regibus deferri solent, pariter Henrico exhiberentur, atque in Pontificio Sacello solemnes celebrarentur exequiæ: cum autem Romana Curia repulsam daret, eo quod hic Princeps anathemate ab Ecclesia segregatus decessisset, hinc jam anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo scriptum quoddam Romam mittebatur, in quo expositum fuit, quod Henricus nullam incurrisset censuram, cum Reges,

nisi

nisi id differtis verbis exprimeretur, in ^{Sæcul. XVI.}
 Canonicis constitutionibus censurarum ^{A.C.1592.}
 pœnam irrogantibus minime compre-
 hendi censeantur, ac insuper idem Hen-
 ricus ob sacrilegam Guisii Cardinalis
 necem ad majorem animi sui tranquil-
 litatem, ac conscientiae expiationem
 scelus suum pœnitentiæ lacrimis apud
 Sacerdotem eluisset, necnon auctori-
 tate Apostolica solutus fuisset, obtento
 ad id diplomate, quod summus Ponti-
 fex die vigesima Julii anno Christi mil-
 lesimo quingentesimo octogesimo septi-
 mo Roma misisset, ac proin doctissimi
 tum Romæ, quam Franciæ Theologi,
 ac Canonum periti hanc absolutionem
 sufficere judicassent. Verum hæ ratio-
 nes nullatenus Pontifici, & Cardinali-
 bus probabantur, quapropter Regina
 Vidua rursus die decima Octobris anno
 Domini millesimo quingentesimo nona-
 gesimo Arnaldo Ossato Franciæ res Ro-
 mæ procuranti, ut hanc rem urgeret,
 transmissis libello injungebat: verum hic
 nec a Sixto V., nec ab ejus Successori-
 bus quicquam obtinere poterat, illis
 omnibus in sua repulsa firmiter per-
 sistentibus.

§. II.

*Clementis VIII. diploma ad Reginam
 in hac causa datum.*

Cle-

Sæcul. XVI
A.C. 1592.

*Lettr. de
Card.
D'offat t. 1.
pag. 149.*

Clemens VIII. dum ad divi Petri Ca-
thedram evehctus erat, Oſſatus rur-
ſus ſuas preces interponebat, totoque
ſtudio ſummum Pontificem eo inducere
nitebatur, ut Reginae ob tragicam Ma-
riti ſui mortem afflictæ hunc favorem
concedere dignaretur: aſt hic Franciæ
Minifter haud amplius impetrare pote-
rat, niſi quod Papa epiſtolam ad Re-
ginam perſcriberet, ſpe facta, quod pro-
greſſu temporis ejuſdem precibus de-
ferendi opportunitas occurrere poſſet.
Data eſt hæc Pontificis epiſtola die vi-
geſima Junii Anno ſalutis noſtræ mil-
leſimo quingentefimo nonageſimo ſe-
cundo, hiſque concepta erat verbis.

„Chariſſimæ in Chriſto Filix Salu-
tem, & Benedictionem Apoſtolicam:
„Ardentiſſimis votis Deum exoramus,
„ut nobis elargiri dignetur gratiam ad-
„implendi ea omnia, quæ Majestas
„veſtra ad nos perſcripſit, & a noſtro
„Pontificatu præſtolatur; quippe præ-
„terquam, quod de virium noſtrarum
„imbecillitate perſuaſi, ac convicti ſi-
„mus, & aliunde iniquiſſimis hiſce tem-
„poribus vivamus, inſuper tumultus
„indies magis augeri cernimus: equi-
„dem nihil ardentius optamus, quam
„ut tandem Franciæ Regnum priſtinæ
„ſuæ tranquillitati reſtitutum floreat,
„quam in rem omnem noſtram ſollici-
„tudine

„tudinem, curamque impendemus: in-
 „super desideramus, ut vestra Majestas
 „ob rerum præteritarum memoriam tam
 „immodicis doloribus se opprimi haud
 „sinat; ea enim, quæ facta sunt, immu-
 „tari nequeunt: proin concepto propo-
 „sito vestra prudentia, animique forti-
 „tudine digno potius ponderandum ve-
 „nit, quod nihil Dei providentiam ef-
 „fugere valeat, omnesque afflictiones
 „nobis obvenientes cum patientia, ac
 „voluntatis nostræ resignatione tole-
 „randæ sint. Porro quoad petitionem
 „vestram nobis tam impense propositam,
 „de repulsæ causis, aut, prout in ve-
 „stra epistola dicere placuit, duorum,
 „vel trium Pontificum tergiversatione
 „nondum satis probe edocti sumus: ni-
 „hil enim hac de re nobis communi-
 „catum est: unde ab eis, quos plene
 „instructos novimus, notitiam haurire
 „studebimus: interea nil certius est,
 „nisi quod tam ardenti Majestatis ve-
 „stræ voto satisfacere cupiamus in om-
 „nibus, quæ præstanda censebimus jux-
 „ta rerum necessitatem, sacræque Se-
 „dis dignitatem, & honorem, quin de-
 „tur scandalum, aut Principum Ca-
 „tholicorum voluntatem aversam red-
 „dendi periculum incurratur.

Sæcul.XVI.

A.C.1592.

§. III.

Sæcul. XVI.

§. III.

A. C. 1592.

*Papa ex aliorum suggestione Henrico
IV. parum propensus.*

Thu. l. 103.

Spond. hoc

ann. n. 4.

Hic Papa sub primis Pontificatus sui auspiciis de rebus Franciæ parum instructus videbatur, illique, a quibus rei veritatem edoceri posset, ab ejus colloquio studiose prohibebantur, proin Papa ab Hispanis, & fœderatis sese decipi passus est: tam artificiose enim eidem res proponebantur, ut Romæ passim crederetur, Religionem Catholicam in Galliis penitus eversum iri, si Henricus Borbonius ibidem tanquam Rex agnosceretur, cum in ejus conversione spes haud ulla reponi posset, ut proin Pontificis esset, quatenus Catholicos ab ejus studio averteret, aut illos unacum ipso ab Ecclesiæ unione segregaret, si diutius ejus obsequio addicti persistere vellent.

§. IV.

*Pontificis mandatum de eligendo Gal-
liarum Rege.*

Thuan. l. c.

Erroneis hisce relationibus imbutus Clemens VIII. primas eo curas intendebat, ut Henricum a Regni successione arceret: eapropter epistolam ad diplomatis Pontificii normam Pisano Cardinali Legato suo trans mittebat, in
qua

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

qua paucis verbis pristinum Franciæ
 adhuc florentis statum in memoriam re-
 vocans hæc proponebat: „toto studio
 „in id incumbendum, ut ejusmodi Rex
 „eligatur, qui pacis publicæ defensor,
 „& Catholicæ fidei cultor verus sit,
 „crescentesque hæreticorum conatus
 „quamprimum comprimat: porro hæc
 „eo in negotio consideranda occurrunt,
 „ut bonorum omnium consensu Regni
 „administratio deferatur illi, qui ob exi-
 „miam pietatem, & singularem Catho-
 „licæ Religionis cultum, ac virtutes
 „tanto muneri pares, & regimini con-
 „venientes, populos in Catholica fide
 „adjuvante Domino perseverantes
 „gubernabit, ac fidem Catholicam,
 „quam defensurum se jurejurando spon-
 „dere debet, sincero corde tenebit, ju-
 „risjurandique comites habebit, veri-
 „tatem, judicium, & justitiam; nam
 „isto regno dignus esse non potestis,
 „qui Orthodoxam fidem destruit, ac
 „pios, & Catholicos infectatur, hære-
 „ticorumque perfidiam fovet, nec con-
 „traria Catholicorum dissidia componere
 „curat, sed mutuas eorum discordias
 „quotidie magis inflammat: præterea
 „in eo summa moderatio, ac pruden-
 „tia requiritur. Enimvero libenti ani-
 „mo Majorum meorum more ad Regnum
 „Franciæ profecturus fuisset, atque
 „in

Hist. Eccles. Tom. LI,

P.

„in

Sæcul. XVI „in eo pro Dei Omnipotentis gloria, Ca-
A.C. 1592. „tholicæ fidei defensione, & communi
 „omnium quiete, si ita necessitas ferret,
 „sanguinem profundero optaviffem: cum
 „tamen id per negotiorum multitudinem
 „minime liceat, Segæ Legato meo, quem
 „muneri tanto abunde satisfacturum, &
 „bonorum votis egregie responsurum
 „confido, hoc onus demandavi, ut e-
 „lectioni posthabitis humanis cogita-
 „tionibus intersit: insuper moneo, at-
 „que obsecro, & obtestor Proceres,
 „Præfules, aliosque, qui Regis, & Ca-
 „tholicorum partes secuti sunt, ut an-
 „tiqua Majorum suorum virtute in me-
 „moriam revocata, in instituto, & of-
 „ficio perseverent: reliquis autem,
 „qui sectariorum fautores extiterunt,
 „& eorum causam foverunt, injungo,
 „ut resipiscant, atque ab iis, quibus
 „cum nullum veræ conjunctionis vin-
 „culum esse potest, consilia separent,
 „& concordibus, quatenus fieri poterit,
 „suffragiis eum Regem eligant, qui
 „Catholica fide inviolate custodita, &
 „publica tranquillitate constituta perti-
 „nacium hæreticorum conatibus resi-
 „stat, nutantesque Catholicorum men-
 „tes firmet, & omnium Orthodoxorum
 „corda jugi lætitia perfundat, proci-
 „rata unione, ac Regni tranquillitate

§. V.

Sæcul XVI.

A.C. 1592.

*Hoc Pontificis diploma in Parisiensis
Senatus acta relatum.*

Hoc diploma nonnisi post longioris *Mem de*
temporis moram ad Parisiensis Cu *l'Eto. l. t. 2.*
riæ tabulas referebatur, eoquod Hen- *pag. 80.*
ricus Cajetanus Cardinalis in Italiam
reversus, donec Papa aliter prospice-
ret, legationis suæ negotia Philippo
Segæ Placentino Cardinali commisisset,
Senatus vero Fœderatis addictus hæc
Pontificis literas approbare renueret,
eoquod delegatus alium subdelegare
non posset, atque aliunde Sexdecemviri
Placentinum nonnisi tanquam Procura-
torem venerarentur; nihilominus post-
quam Segæ tanquam Papæ Legatus erat
agnitus, pariter feria tertia die vigesi-
ma septima Octobris Pontificis diploma
ad acta referebatur.

§. VI.

*Catalaunensis Senatus edictum ad-
versus Legatum, & Parisiense
Senatus consultum.*

Quamprimum hoc diploma a Parisiensi *Th. l. 103.*
Senatu ad acta relatum fuisse, Cu *Mem. p. 86.*
riæ Catalauni stabilitæ innotuerat, mox
Procurator generalis adversus hanc
actionem reclamabat: quapropter Se-
natus in præfata urbe erectus ad ejus
peti-

Sæcul. XVI
A.C. 1592.

petitionem edito decreto Philippum Se-
gam in jus vocavit, ac comparere ius-
sit: percipiamus ergo hujus decreti die
decima octava Novembris hoc anno pro-
mulgati tenorem: „Regius Procurator
„in Curia exposuit, quod rebelles; &
„seditiosi ad exequenda perveria sua
„consilia jam dudum concepta, necnon
„ad Franciæ diadema legitimis suis
„Successoribus eripiendum non modo
„regnum cædibus, & latrociniiis scæde
„devastarint, sed etiam Hispanos, cru-
„delissimos, ac perniciosissimos Fran-
„ciæ hostes in regnum introduxerint,
„cum vero iidem rebellium civitatum
„incolas veluti ex profundo lethargo ex-
„citos ad saniora redire, atque ad
„obedienciæ semitam, ad quam a Deo,
„& humanæ rationis legibus adstrin-
„guntur, reverti cernerent; hinc illi,
„ut prospera hæc submissionis auspiciis
„everterent, regnumque majoribus ad-
„huc, quam antea tumultibus, ac dis-
„sensionibus involverent, Regem ele-
„gere parabant, ut autem hoc facinus
„æquitatis specie velarent, quoddam
„scriptum ad Bullæ normam conceptum
„promulgarunt, quo præfatæ electioni
„assistendi, eamque ratam habendi po-
„testas, & mandatum Placentino Car-
„dinali datum fuit: porro hoc ausu isti
„seditiosi hucusque occultata animi sui

„con-

Sæcul. XVI.
A.C 1592.

„confilia satis aperte manifestarunt, te-
 „statumque fecerunt, quod unice re-
 „ligionis obtentu usi fuerint, ut dam-
 „nandas, nefandasque expeditiones suas,
 „& conjurationes honestare possent:
 „hanc tamen agendi rationem merito
 „omnes probi Galli, & Catholici de-
 „testari, atque abominari debent, tan-
 „quam Dei Verbo, sacris Conciliis, at-
 „que Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus
 „adversam, qua præcipua, primaque
 „regni lex circa legitimam Regum no-
 „strorum successionem pessumdatur.

„Cum igitur Curia nostra Regii Pro-
 „curatoris Generalis postulata omnino
 „rata habeat, atque etiam interpositam
 „appellationem contra petitionem, &
 „præfatæ Bullæ, facultatisque ibidem
 „comprehensæ, atque obtentæ conces-
 „sionem, necnon illius executionem,
 „& cuncta exinde provenientia tanquam
 „illegitime impetrata receperit, & e-
 „tiamnum recipiat, atque illam tan-
 „quam juste factam crediderit, credat-
 „que, ideo præcipit, ut Philippus ti-
 „tulo S. Onuphrii Cardinalis Placenti-
 „nus citetur, ad eam appellationem re-
 „sponsurus, & citationes in hac Urbe
 „Catalaunensi per præconis vocem fa-
 „ctæ perinde valeant, ac si ipsi, aut ejus
 „domicilio intimatæ essent; admonen-
 „tur etiam Præsules, Principes, Pro-
 „ceres,

Sæcul. XVI
A.C. 1592.

„ceres, alique cujuscunque conditio-
 „nis sint, ut in fide, & obsequio, quod
 „Regi debent, tamquam fideles sub-
 „diti, & Natione Galli constanter per-
 „severent, nec se factionum veneno
 „imbui, aut eorum artibus, qui sub
 „religionis obtentu imperium invadere,
 „atque Hispanos, aliosque usurpatores
 „introducere conantur, fascinari sinant
 „præterea inhibetur, nequis Bullam
 „hanc retinere, publicare, rebellesque
 „adjuvare, aut ad urbes memoratæ
 „electioni destinatas accedere audeat,
 „siqui vero contra hoc Decretum age-
 „rent, puniantur, ac nobiles perpe-
 „tua infamia notentur, atque exaucto-
 „rentur, Ecclesiastici vero possessis Sa-
 „cerdotiis priventur, atque omnes tan-
 „quam quietis publicæ perturbatores,
 „& patriæ proditores perduellionis pe-
 „nam incurrant, gratiæ, ac abolitionis
 „spe præcisa: insuper vetatur, nequis
 „seditiosos hujusmodi, ac rebelles ad
 „conventum illum celebrandum tecto,
 „hospitiove excipiat: denique ultimo
 „decernitur, ut locus, in quo de con-
 „ventu actum fuerit, & Urbs, qua ille
 „celebrabitur, a fundamentis evertan-
 „tur, nec in perpetuum restaurentur,
 „ut posteritati in exemplum sit prodi-
 „tionis, ac perfidiæ publico judicio
 „vindicatee.

Datum &c.

S. VII

§. VII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

*Hoc Senatus consultum Parisiis præ-
sente Maduano Duce combustum.*

Die vigesima secunda Decembris Præ-
ses nomine Magister in Parisiensi Thuan. l. c.
Mem. p. 92.
Senatu contra hoc Catalaunense edi-
ctum aliud decretum a Nullio Præsede
confectum recitabat, prius tamen Re-
gis advocatus nomine Aurelianus, qui
ab Hispanis pensione auctus erat, ser-
monem in Senatu habebat, ubi ipse-
met Maduanus Dux præsens aderat,
dum hic Advocatus adversus Catalau-
nense edictum perorabat, & contra
Regem, Catalaunensesque Senatores
vehementer insurgens, bellum conti-
nuandi necessitatem pluribus expone-
bat: postea Catalaunense edictum ea-
dem die in pleno Senatus confessu dila-
cerabatur, atque altera die matutinis
horis tradebatur carnifici, qui illud ad
majores Palatii gradus publice com-
bussit.

§. VIII.

*Rex de sua cum Pontifice reconcilia-
tione consilium agitans, atque
ad hoc Veneti Senatus
opera usus.*

[Interea Rex in Sedis Apostolicæ gra-
tiam redeundi mediis intentus neo-
electum Davil. hist.
des querr.
civil. l. 13.

Sæcul. XVI
A. C. 1592

electum Pontificem sibi devincire fatagebat, cum vero in Venetæ Reipublicæ, & Magni Etruriæ Ducis auctoritate potentis præsidii spem collocaret, hinc Vernonii cum Joanne Mocenigo Reipublicæ Legato conferens hæc exponerebat, „De rerum mearum conditione „mentem meam summo Pontifici aperire desiderans exopto, ut Senatus, „quem sacræ Sedi pleno obsequio addictum nosco, mea vota utpote æquitati innixa ad prosperum exitum suæ opera perducere velit: decreveram enim ad summum Pontificem ablegare „Gondium Cardinalem, cujus prudentia, atque integritas satis perspecta est: insuper eidem Catholicæ Nobilitatis nomine adjungere statui Pisanum „Marchionem, ut hi pacis negotio insudare, meamque cum Sede Apostolica reconciliationem promovere velent: cum tamen hoc negotium Romæ haud leves patiatur difficultates, atque aliunde Hispani ibidem potentia plurimum valeant, mihi persuasum habeo, quod in hac rerum vicissitudine consilium, ac Reipublicæ auctoritas ad exequendum tanti momenti negotium mihi perutilis foret. „ Hic Orator dum cuncta a Rege petita Senatus nomine pollicitus erat, Gondium ablegare mox decernebatur.

§. IX.

§. IX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1592.

*Edictum circa Regni beneficia, atque
Bituricensis Archiepiscopi
postulata.*

Hæc pia Regis consilia Catholicos qui-
dem ingenti affecerant lætitia, ar-
ctius tamen Henricus IV. subditorum
suorum animos sibi devinciebat, dum
sub idem tempus aliud edictum circa
Regni beneficia promulgari curabat;
cum enim Turonensis, & Catalaunen-
sis Curia pro obtinendis beneficiis dein-
ceps Romam recurrere prohibuisset, ac
Præsules hæc beneficia ad Regis bene-
placitum reservari consensissent, ideo
ex hoc abusu contingere solebat, quod
beneficia, quamprimum vacarent, pro-
miscue cujuscunque generis, & sexus
Personis tanquam in præmium confer-
rentur, ecclesiasticorum vero bonorum
administratio a supremo Senatu com-
mitteretur cuidam Sacerdoti illius Diæ-
cesis, in qua situm erat hoc beneficium,
ita, ut hic Presbyter Oeconomi spiri-
tualis nomen gereret: cum autem a po-
tissimis hæc res tanquam sacris Canoni-
bus adversa, scandalosa, gregis saluti
nociva, ac Calvinistarum usurpationi-
bus haud absimilis damnaretur. hinc
introducenda hac corruptela Renatus Bel-
nensis Bituricensis Archiepiscopus, vir

Davit. l. c.

P 5

erudi-

Sæcul. XVI. eruditione sua præclarus sibi persuasum
A C. 1592. habebat, quod ipsemet aliunde Gallo-
 rum Primatis honore insignis haud dif-
 ficulter impetrare posset, ut beneficio-
 rum collatio intra regnum ad ipsum
 devolveretur, ac proin iisdem juribus,
 quibus Papa in univèrsa Ecclesia gau-
 det, ipse in tota Francia potiri posset:
 hic enim Prælati unice eo collimabat,
 ut sub quæsito corruptelas circa Bene-
 ficiorum collationem grassantes tollendi
 obtentu sese tanquam Franciæ Patri-
 archam proclamare valeret.

Verumtamen Borbonius Cardina-
 lis, aliique Proceres Catholici compro-
 batum reddebant, quod hoc Bituri-
 censis Archiepiscopi consilium eo ten-
 deret, ut Franciæ regnum a sacræ Se-
 dis obsequio averteretur, introducto-
 que schismate omnis revocandæ unio-
 nis spes præcideretur. His quoque ad-
 debant illi, quod ejusmodi rem nun-
 quam toleraturi essent, si tamen iis
 invitis ille Archiepiscopus votis dam-
 naretur, ipsi, quid consilii in hac rerum
 vicissitudine capere deberent, haud
 ignari forent. His querelis permotus
 Rex suam mentem declarabat his
 verbis: „obedientiam sacræ Sedi debi-
 „tam infringi nunquam permittam,
 „quàmvis vero, ut forte cuidam malo
 „obviam iretur, aurum Romam trans-
 „ferri

„ferri prohibitum, simulque, ne re- Sæc. XVI.
 „gnum Italarum prædæ exponatur, hoc A.C.1592.
 „interdicto cautum esset, id tamen dun-
 „taxat interea ad tempus statutum fuit,
 „donec Romana Aula sese legitimi ad
 „Regnum Successoris juribus opponere
 „cessaret: de cetero autem adeo nihil
 „immutare intendo, ut potius res sa-
 „cras, Religionem, atque Ecclesiæ Gal-
 „licanæ privilegia in eodem statu, quo
 „ea ad regni mei exordium reperi, sarta
 „servare velim: hanc ob rem præter alia
 „præcipio, ut omnes, quæ tertio mense
 „post edicti mei promulgationem fient,
 „nominations ad Episcopatus, Abba-
 „tias, aliaque beneficia electiva per
 „cessionem, mortem, aut rebellionis
 „crimen vacatura, a Metropolitano con-
 „firmentur, hæcque confirmatio Pon-
 „tificiorum diplomatum vices suppleat:
 „intra tempus vero præscriptum Metro-
 „politano unacum suis Suffraganeis
 „illum, quem ego ad Episcopatum no-
 „minavi, inauguret, si tamen ad Epi-
 „scopatus dignitatem requisitis prædi-
 „tus sit dotibus: Episcopi autem pro
 „Abbatiiis, aliisque beneficiis, ad quæ
 „nominandi jus mihi competit, in illis
 „diæcesibus, in quibus hæc beneficia
 „sita sunt, diplomata expediant, si vero
 „Episcopi id facere renuerint, ejusmodi
 „jus ad Archiepiscopum devolvatur:
 „porro

Sæcul. XVI. „porro ad alia beneficia, quorum col-
A.C. 1592. „latio aliis convenit, Archiepiscopi,
 „Episcopi, Capitula, Abbates, alique
 „sua jura integra servant: cessiones ve-
 „ro in aliorum favorem etiam reservata
 „pensione factas Ordinarii unacum clau-
 „sulis, & conditionibus in Romana Aula
 „usitatis recipiant.„ Postea Rex eo-
 dem edicto irritas declarabat omnes
 gratias, quæ a die, quo edicta ab Hen-
 rico III. sancita promulgabantur, Præ-
 sulibus, Abbatibus, & Capitulis fœ-
 deri addictis concessæ fuerunt; insuper
 idem Rex iudicibus injunxit, ut ha-
 rum gratiarum nullam rationem habe-
 rent, nec subditi, cujuscunque condi-
 tionis essent, hisce favoribus uteren-
 tur: denique statuit, ut omnes pari
 ratione præsentibus edictis pareant, nisi
 tanquam tranquillitatis publicæ per-
 turbatores castigari malint.

Nihilominus Henricus IV. cunctis,
 imo & rebellibus, quibus aliunde ad
 Parochias nominandi jus compete-
 bat, de illis disponendi libertatem reliquit,
 sibi tamen cetera beneficia, ad quæ
 ipsis alias nominandi facultas erat, ido-
 neis Viris conferendi jus reservabat,
 ea tamen lege, ut illi, quos ipse nomi-
 naturus esset, hujus nominationis con-
 firmationem ab Ordinariis impetrarent:
 proin juxta hujus edicti tenorem Rex
 tantam

tantam sibi auctoritatem arrogabat, ut ^{Sæcul.XVI.}
 cuilibet Episcopo intra suam Diæcesin A.C.1592.
 easdem, quas Papa, dispensationes
 largiendi facultatem attribueret, addita
 tamen hac conditione, ut hæ faculta-
 tes a supremis Curiis confirmarentur:
 insuper Ordinariis injunxit, ut rerum
 gestarum seriem accurate conscriptam
 ad acta referri curarent, illarumque
 transumptum transmitterent cunctis ad
 beneficia promotis, hi vero evoluta
 mense præstent jusjurandum, sine quo
 cuncta eis concessa tanquam irrita ha-
 beantur. Eodem pariter edicto sanc-
 tum, ut nullus exterus, etsi in Regno
 habitet, ullum beneficium sine Regis
 consensu obtinere valeat, adeo, ut ejus-
 modi nominatio, a quocunque facta
 fuerit, omnino nulla sit. Denique Rex
 obsecundabat precibus quorundam
 Præfulum, qui ejus obsequio fideles e
 suis Diæcesibus per rebelles ejicieban-
 tur, atque haud temere suspicabantur,
 an non illi, quibus vel ipsi, aut eorum
 Vicarii Generales ferventibus hisce tu-
 multibus beneficia contulerant, propter-
 ea vexarentur, cum ordinariæ suæ
 jurisdictionis usu privati existerent; hinc
 Henricus declarabat, suaque auctori-
 tate regia cuncta, tempore præfato gesta,
 tanquam legitima, ac jure facta con-
 firmabat: verum omnia hæc edicta nul-
 lius

Sæcul. XVI. lius frugis, utilitatisque fuere, eo quod
A.C. 1592 effectui minime data fuissent; quippe
 nullum extat exemplum, quod vel ul-
 lus Metropolitæ Episcopus inauguravit,
 aut Episcopi ad Abbatias diplomata ex-
 pedierint.

§. X.

*Gondius Cardinalis, & Pisanus Mar-
 chio Romam profecti.*

*Thu. l. 103.
 Davil l. II.
 Mem. p. 98.*

Quamvis ex hisce edictis nonnulla Cu-
 riæ Romanæ molesta acciderent,
 nihilominus Henricus Rex in Ecclesiæ
 finem redeundi media exquirebat: ea-
 propter, cum Venetorum Rempubli-
 cam, & Magnum Etruriæ Ducem tan-
 quam hujus causæ Patronos invocare
 decrevisset, Cardinalem Gondium, &
 Pisanum Marchionem, quos hanc in
 rem jam dudum nominaverat, Romam
 ablegare statuit. Ergo hi Mense Octobri
 e Francia discedunt: ast ubi Ræticas
 alpes uterque superaverant, Pisanus
 Andesani ad Benacum ditionis venetæ
 lacum amœnissimo in loco substitit: Car-
 dinalis vero iter per Etruriæ ditionem
 prosequabatur, eo consilio, ut Magni
 Ducis opera quidam Cardinales, qui ad
 evertendum hoc negotium parati vide-
 bantur, ad hujus Legati studia pertrahe-
 rentur: ast Catalaunense edictum tan-
 toperè summi Pontificis diplomati, ejus-
 que

que Legato injuriosum maxima huic Sæcul. XVI.
 reconciliationi obstacula opponebat: A.C. 1592.
 haud immerito enim Romana aula tam
 indigna agendi ratione maximam in-
 juriam sibi irrogatam fuisse censebat,
 quapropter non pauci summo Pontifici
 insinuabant, quod speciosas Henrici
 pollicitationes, ejusque consilia sibi su-
 specta haberent.

§. XI.

*Gondius Cardinalis Romam venire a
 Papa prohibitus.*

Horum suggestiones nimis alte Ponti- Thuan. l. c.
 ficis animo infixæ hærebant; qua- Davil. l. 3.
 propter obtendens, quod per longiorem Mem. p. 98.
 temporis moram, an Regis conversio
 sincera esset, examinare oporteret. In-
 terea ad suum in Galliis Legatum per-
 scripsit, quod suo nomine Gondio Car-
 dinali significaret, ne Romam versus
 iter aggrediretur: cum autem hic nun-
 tius tardius adventasset, & Cardinalis
 jamjam Alpes superasset, ad eundem Pa-
 pa Patrem Alexandrum Franceschinum
 ex ordine Fratrum Prædicatorum able-
 gabat, dato negotio, ut eidem inhi-
 beret, ne iter suum prosequeretur, nec ditio-
 nis Ecclesiasticæ fines ingrederetur:
 præterea Franceschinus Cardinali ex-
 ponere jubebatur, quod Papa nec illum
 excipere, nec cum eo agere velit, eo-
 quod

Sæcul. XVI. quod Navarræ Regis licet hæretici,
 A.C. 1592. relapsi, & a sacra Sede damnati rebus
 favens ne quidem probi Catholici, mi-
 nus vero digni Cardinalis partes ex-
 pleffet: denique Franceschinus iussu
 Pontificis etiam hæc subungebat: „ne-
 „mini eorum, qui Roma in Gallias missi
 „sunt, satisfecisti, eoquod moderamen
 „ubique quæreret, atque (emplastris
 „semper Religionis mala velares, eo fine,
 „ut Regnum in manus hæreticorum eo
 „facilius recideret: insuper non eru-
 „buiſti ante profectioem tuam cum ipſo
 „hoc Principe colloqui, & sermones
 „inſtituere: ad hæc per Urbes hæreticis
 „obedientes in Italiam veniens iter ſe-
 „ciſti, devitatis contrariæ factionis ur-
 „bibus tanquam ſuſpectis, & ſparſa ubi-
 „que fama, quaſi a Pontifice accerſitus
 „venires, ut ipſum in ejus gratiam re-
 „cipi procurares; cum tamen Papa fir-
 „miter ſtatuerit, omnes opes, & ſan-
 „guinem, ſi opus ſit, profundere, ut
 „Navarrum ſperata regni poſſeſſione ex-
 „cludat.„ Ceterum hoc idem inter-
 dictum unacum iisdem rationibus pa-
 riter Piſano Marchioni ſignificabatur.

§. XII.

Cardinalis Gondii reſponſum.

Thuan. &
 Davil. l. c.

Hæc mandata Cardinalis haud pro-
 cul a Florentina urbe in quodam
 Magni

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

Magni Ducis palatio receperat: verum
 nil inde commotus suum ab epistolis
 Ministrum unacum præfato Dominica-
 no Romam ablegabat, ut objecta sibi
 crimina dilueret, summo Pontifici hæc
 exponens: „Fœderatorum Principum
 „societati nomen dare sollicitatus re-
 „pullam dedi; satis enim probe mihi
 „perspectæ erant Francici Regni res,
 „unde haud obscure intellexeram, quod
 „hæc unio nequaquam ex vero Zelo,
 „& sincero religionis studio proficisce-
 „retur, sed duntaxat ad nutriendam
 „Principum ambitionem aptus esset ob-
 „tentus, adeo tamen periculosus, ut
 „res jamjam ad eam deductæ fuerint
 „necessitatem, ut Sanctitas sua, nisi malo
 „remedium mature opponere festinet,
 „tunc primum, cum de illius necessitate
 „plene edocta fuerit, sero nimis medi-
 „cinam pararet: de cetero autem cum
 „Ecclesiasticus sim, haud decere cre-
 „didi, ut horum furori cedam, aut alio-
 „rum cupiditatibus deserviam: porro
 „hanc meam agendi rationem jamjam
 „excusaveram coram Sixto V. Pontifi-
 „ce, qui cognita rei veritate meas ex-
 „cusationes in bonam partem accepe-
 „rat: haud equidem diffiteor, quod du-
 „rante Urbis Parisinæ obsidione cum Na-
 „varræ Rege de hac civitate ab extre-
 „mis, quibus ob famis violentiam af-

Hist. Eccles. Tom. II. Q. sicta-

Sæcul. XVI
 A.C. 1592.

„flictabatur, calamitatibus liberanda
 „contulerim, id tamen annuente Le-
 „gato Apostolico feci, eandemque ob
 „causam ipse cum Rege egi; secus
 „enim periculum mihi imminuisset, ne
 „in itinere comprehensus cum Rege lo-
 „qui, vi adigerer, non sine honoris,
 „dignitatisque meæ præjudicio. De-
 „nique cum Lotharingiæ finibus pro-
 „pius accederem, a Legato quidem mihi
 „injunctum fuit, ne Romam pergerem,
 „si in Hæreticorum, Regisque Navar-
 „ræ favorem ibidem perorare vellem:
 „cum autem nunquam id mentis meæ
 „fuerit, propterea iter meum prosequi,
 „mihi integrum fore existimabam, ac
 „nunc nimis mihi durum accidit, quod
 „a Sanctitate sua prohibear, quo minus
 „ad ejus pedes prostratus debitum ex-
 „solvam obedientiæ homagium; si enim
 „nocens sum, non modo me redar-
 „guendi, sed etiam castigandi plena
 „Sanctitati vestræ potestas est: vicissim
 „vero paratus sum exacte non minus,
 „ac sincere de omnibus meis actionibus
 „rationem reddere, ut promeritam mihi
 „pœnam injungere valeat, si reus in-
 „veniar: unice enim Romam pergere
 „statui, ut viva voce Sanctitati vestræ
 „deplorandum Franciæ statum, quem
 „alii subdole occultant, ipse ego non
 „tantum tanquam Parisiensis Urbis Epi-
 „scopus,

„scopus, sed & Ecclesiae Romanae Car- Sæcul. XVI.
 „dinalis exponam: sciat igitur Sancti- A.C.1592.
 „tas vestra, quod plusquam quadraginta
 „Episcoporum sedes Pastoribus desti-
 „tutæ in regno vacent, eorumque re-
 „ditus a militibus, fœminis, & hujus-
 „modi profanis personis, magna ani-
 „marum esurientium, & sitientium ja-
 „ctura, & incredibili sacri ordinis de-
 „decore possideantur: insuper mearum
 „partium esse arbitror, ut Sanctitati
 „vestræ ob oculos ponam, quod Parochi,
 „& Sacerdotes neglectis status sui offi-
 „ciis arma capeffant, suasque manus
 „sanguine polluant: proin timendum,
 „ne florentissimum hoc Regnum schis-
 „mati involvatur, ni remedium præsto
 „adhibeatur: porro hæc mea monita
 „nonnisi ex corde vere Catholico, &
 „Christiano, minime autem ab hære-
 „tico, aut hæresis fautore proficiscun-
 „tur, ideo si Sanctitas vestra me de ca-
 „lamitatibus, ac Franciæ dissidiis disle-
 „rentem percipere voluerit, certus sum,
 „exinde ejus viscera miseratione com-
 „motum iri: si autem Sanctitas vestra
 „mihi silentium imponere maluerit, ta-
 „cebo, contentusque ero, quod con-
 „scientiæ meæ tranquillitati consulue-
 „rim; id enim unice adventu meo in-
 „tendi.,

Q 2

§. XIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1542.

§. XIII.

Papa his rationibus expugnatus, Cardinalique Romam venire concedens.

*Thuan. &
Davil, l. c.*

Hæ rationes cum magna energia expolitæ apud Papam tantum valere, ut a Venetorum Oratore de pluribus, quos antea ignorabat, rerum eventibus certior factus in pristino firmaretur proposito, quo censebat, hoc negotium non nisi cum maxima moderatione pertractandum, totoque studio in id incumbendum, ut Navarræ Regis reconciliatio promoveretur, id etiam exigente ipso Sedis Apostolicæ honore: eapropter Gondio Cardinali Romam venire concessit, ea tamen lege, ut nec hæreticis, eorumque fautoribus in occulto faveret, & ante omnia de contempto Gregorii XIV. cujus rei causa infimulatus fuerat, mandato in fœderatorum favorem edito satisfaceret.

§. XIV.

Arcana mandata Pontificio in Gallis Legato data.

Davil. l. 13

Sub idem tempus Clemens VIII. ad Cardinalem Legatum ablegabat Hieronymum Agucchium Protonotarium Apostolicum, qui eundem de Pontificis voluntate certiore faceret: igitur
hic

hic Deputatus Legato præcipere jubebatur, ut summa dexteritate, & prudentia hoc in negotio uteretur, ne animos irritaret, proin sedulo caveret, ut non quicquam violenter in Ordinum comitiis ageretur, sed potius plena libertas suffragantibus relinqueretur: nullo autem pacto turbidæ indolis Regem, qui forte potius denuo accendendis, quam extinguendis, sedandisque belli flammis intentus esset, eligi permetteret, omnesque injurias, atque offensiones cohibere curaret, necnon inter proposita media illud seligeret, quod ceteris magis expeditum, tutum, minus novitatis suspicioni obnoxium, atque ad procurandam pacem magis idoneum censebit: nunquam nimis difficilem sese exhiberet, sed circumspecte temporis, rerumque vicissitudini cederet in iis, quæ salva æquitate indulgeri possent: præprimis Religionem sartam conservari satageret, fideique bonum omnibus aliis rebus, quæ non ad illius conservationem, atque augmentum tendunt, præferret. Denique sibi persuasum haberet, quod hoc negotium tanti sit momenti, ut nunquam satis mature ponderari, atque discuti valeat, ne ex præcipiti consilio, vel speciosis, veroque similibus rationibus ea decernantur, quæ nec animarum salutem, nec Dei

Sæcul. XVI.

A.C. 1592.

Sæcul. XVI.
A. C. 1592
obsequium respiciunt. Demum Pontifex cuncta Legati sui prudentiæ committens, hæc monita sat efficacia censabat, adeo, ut tunc, si ea accurate exequeretur, sperandum foret, quod totum negotium non sine Religionis, Regnique emolumento perfici posset.

§. XV.

Legatus ab Hispanis præoccupatus.

Davila l. 13. Pontifex bona de suo Legato opinione nimium præventus erat; cum tamen hic ab Hispanorum nutu pendens quondam horum opera ad summum Pontificatum se promotum iri speraret, hinc hæc Papæ monita flocci habebat, atque pia Clementis VIII. consilia adeo non prompta secundabat executione, ut potius omnem in eo sollicitudinem impenderet, quatenus Hispanorum consiliis optatus adspiraret successus: unde ob illius agendi rationem dissensiones, ac tumultus augebantur, nilque minus, quam tranquillitas, paxque eidem adeo sincere commendata procurabatur.

§. XVI.

Rothomagensis Senatus edictum adversus Henricum IV.

Thu. l. 102.
Mem. p. 67. Hoc item anno die vigesima Januarii Normaniæ Senatus severum edictum

etum contra Henricum IV. promulga- Sæcul. XVI.
 bat, in quo præter alia referebatur, A.C. 1592.
 quod Curia prohibuerit, atque etiam-
 num omnibus, cujuscunque status, di-
 gnitatis, & conditionis hominibus, ne
 ullo pacto Henrici Borbonii partibus
 faveant, specialiter inhibeat, simul-
 que etiam præceperit, & præcipiat, ut
 indicto laquei supplicio ab eo deficiant.
 Eodem quoque Senatus consulto man-
 dabatur, ut Procurator Generalis data
 ei ad hoc facultate in præfati Henrici
 fautores inquirat, atque in publicis
 compitis, præcipuisque Urbis foris pa-
 tibula erigantur, in quibus illi omnes
 suspendantur, quæ infausto fato adver-
 sus patriam suam quicquam moliri at-
 tentaverint: his vero, qui ejusmodi
 proditores detexerint, Curia, etli com-
 plices fuerint, delicti veniam conce-
 dere, ac præterea illis duo aureorum
 millia ex Urbis Prætorii redditibus sol-
 vere parata erat: denique decretum, ut
 unionis Sacramentum die duodecimo
 Januarii anno Christi millesimo quin-
 gentesimo octogesimo nono præscri-
 ptum, pluribusque aliis edictis confir-
 matum singulos in menses innovaretur
 in generali Ordinum conventu, qui
 hanc in rem in Abbatia sancti Ovani
 celebraretur: præterea civibus injun-
 ctum, ut constituta mortis pœna, om-

Sæcul. XVI.
A. C. 1592.

nique veniæ spe præcisa, hoc iusjurandum integra fide servant, atque in omnibus, quæ Villarius supremus Provinciæ Vicarius circa status conservationem injunxerit, pariter indicta mortis pœna pareant. Promulgabatur hoc edictum requirente eodem Villario Brancesio, in Provincia ex Oisiorum familia orto, qui Guisio Duci addictissimus Rothomagum pro summo imperio regere ambiebat.

Interea Rex hanc urbem obsidere pergebat, quamvis non sine ingenti clade sæpius repelleretur, atque in quodam certamine Albamarlæ inito vulneraretur, quocirca Rex ob invictam propugnantium fortitudinem demum obsidionem solvere, atque ad pontem Arcuensem sese recipere cogebatur: paulopost recuperabat Calidobecum, quod oppidum antea hostes occupaverant: inde vero Rex in Picardiam movens, ac postea in Campaniam Epernacum antea foederatis traditum obsedit, cepitque.

§. XVII.

*Libellus a Sexdecimviris Maduano
Duci porrectus.*

*Daniel hist.
de France
t. 7. p. 155.*

Eo tempore, quo Rex hisce victoriis inclarescebat, Sexdecimviri die prima Decembris Maduano Duci libellum porri-

porrigebant, in quo hi plura petebant, Sæcul. XVI.
A.C. 1592.
 & quidem inter alia. I. Unionis Sa-
 cramentum coram Legato innovetur,
 illique, qui sese hoc jurejurando ob-
 stringere renuerent, castigentur. II.
 Promulgetur edictum, quo de pace
 cum Navarro Rege ineunda agere pro-
 hiberetur. III. Catholici Religionis
 studio accensi, atque antea in exilium
 detrusi revocentur, atque de eorum
 causa cognoscere, Senatui interdictum
 sit. IV. In exercitu Prædicatores, &
 Confessarii habeantur. V. Beneficia
 juxta sancti Concilii Tridentini decreta
 conferantur. VI. Quamprimum Ordi-
 num conventus pro Regis Catholici e-
 lectione indicatur. VII. Auctis exte-
 ris præsidariis Parisinæ Urbi subvenia-
 tur. VIII. A Senatu omnes Regi adhæ-
 rentes excludantur, cunctique Ministri,
 qui eum tanquam Regem venerantur,
 exauctorentur. IX. Denique in jus vo-
 centur illi, qui pro restaurando utrius-
 que partis commercio ad Regem fuere
 deputati. Verum Maduanus Dux Sex-
 decimvirorum, qui hujus libelli Au-
 thores erant, consilia penetrans, atque
 illos unice Hispanis favere haud igno-
 rans, nec illos percipere voluit, aut
 saltem eisdem nonnisi paucissima ex
 hisce postulatis concessit.

Sæcul. XVI.
A C 1592

§. XVIII.

*Villamurium a Joyosa Duce ob-
sessum.*

Thu. l. 103. *Davil. l. 13.* Sub idem ferme tempus omnia in labe-
factandam fœderatorum auctorita-
tem conspirare videbantur, quippe Jo-
yosa Dux, qui in Occidania, & Aquita-
niam cuidam agmini præerat, Villamurium, munitissimam urbem prope
Montalbanum sitam obsedit, eo fine,
ut capta urbe omnem, qua late patet,
regionem devastare, ac postea Montal-
banum contendere posset, eoquod Cal-
vinistæ jam a pluribus abhinc annis in
eadem civitate militum suorum dele-
ctum habuissent: attamen Espernonio
Duce in Urbis opem accurrente, Joyosa
resistendo impar obsidionem solvere,
atque in munitiora suæ factionis loca
secedere cogebatur, donec rursus ab-
eunte Espernonio hanc urbem cingendi
opportunitatem nancisci posset. Enim-
vero jam altera vice obsidionem parat,
longe tamen funesto magis successu,
quam antea; licet enim cum in-
genti animi fortitudine regii exercitus
impetum sustinuisset, vi tamen e castris
suis depulsus, atque ferocientis equi
sui cursu in flumen præcipitatus ibidem
submersus est.

MVX 2

29

Nomi-

Nominabatur hic Bellidux Ant-^{Sæcul. XVI.}
 nius Scipio, Melitensis Eques, & ma-^{A.C. 1592.}
 gnus Tolosæ Prior, qui vita supersti-
 tes reliquit duos Fratres, Franciscum
 Joyosam Cardinalem, primo Tolosanum,
 ac postea Rothomagensem Archiepisco-
 pum, & Henricum Buchagiæ Comitem.

§. XIX.

*Pater Angelus Joyosa relicto Capuc-
 cinorum instituto foederati exerci-
 tus Bellidux proclamatus.*

Hic idem Henricus Anno Salutis no-
 stræ millesimo quingentesimo octo-
 gesimo quarto, vigesimo sexto post con-
 jugis suæ mortem die Capuccinorum
 institutum amplexus ibidem sese solem-
 ni sponsione Deo sacrabat, nominatus
 Pater Angelus: verum postquam Tolo-
 sani Cardinali Joyosæ Urbis suæ Præ-
 fecturam detulerant, ille vero hanc
 provinciam acceptare recusaverat, Pro-
 ceres huic familiæ addicti Cardinalem
 eo inducebant, quatenus fratrem suum
 a votorum lege solvi peteret, eo fine,
 ut is postea foederati exercitus impe-
 rium capefferet: ast Pater Angelus com-
 perto eorum consilio obstitit, exponens,
 quod sibi haud ultra integrum foret il-
 lud vitæ genus, quod professus esset,
 relinquere: celebrabatur equidem hu-
 jus Religiosi Zelus: Episcopi tamen
 æque,

*Thu. l. 103.
 Ut P Aug.
 per Desulier.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

æque, ac Theologi hanc in rem convocati deciderunt, quod Angelus Buchagiæ Comes non solum citra conscientiaæ damnum relicto Cœnobio curam belli posset suscipere, sed etiam, nisi faceret, & tali tempore Religionis causam desereret, mortalis peccati piaculum incurreret.

*por. l. rog.
A. P. Aug.
L. P. Aug.*

Igitur Pater Angelus opera Cardinalis Joyosæ fratris sui a summo Pontifice petitam legis veniam impetrat, moxque ex Occidiana Nobilitate præcipui turmatim ad Capuccinorum Conventum convolantes eundem eo adegerunt, ut anacum illis ad Archiepiscopale Palatium, quod Cardinalis incolebat, veniret, ibidemque Capuccinorum habitu deposito in veste lugubri ob fratris sui mortem publice compareret, & præsentem toto populo rei divinae interesset, cunctis ad subitam hanc mutationem festive applaudentibus. Postea missis ad eum Deputatis in Senatum venire rogatur, ubi mox eo accurrens cum Cardinale Fratre suo regimen partiri cogitur, adeo, ut summa negotiorum penes Cardinalem, penes Patrem Angelum vero, rursus Buchagiæ Comitum dictum, cura armorum esset, ac fœderatorum partes sustineret, eo fine, ut Religio Catholica in hac Provincia, cujus ipse postea Gubernator extitit,

sarta

farta servaretur: porro hic idem Comes Sæcul. XVI,
 progressu temporis sacri, ut vocabant, A.C.1592.
 fœderis studiosissimus evaserat.

§. XX.

Sancti Francisci Salesii initia.

Quamvis Calvini hæresis Genevæ fir- *Marfolliem*
 mam fixisset sedem, ibidemque *vis de S.*
 per plures annos pro summo imperio *Franc de*
 suam tyrannidem exercuisset, nihilo- *Sales Bail.*
 minus providum Numen subinde Viros *vis des*
 fuscitabat, qui eandem strenue debella- *Saints 168*
 rent, atque ex ejusmodi sectatoribus *29. Jan.*
 plurimos ad Ecclesiæ finem reduce-
 rent. Ex his haud infimus erat Fran-
 ciscus de Sales, qui Episcopus Gene-
 vensem Diæcesin rexerat, nec imme-
 rito hic idem annus Domini millesimus
 quingentesimus nonagesimus secundus
 velut epocha celebratur insignium, &
 fertilissimarum expeditionum, in qui-
 bus hic idem sanctus Præful in Chabel-
 liacensi Ducatu, & Gesiona regione ad
 veram Christi fidem innumeram pene
 hæreticorum multitudinem reduxit.
 Natus idem erat in arce Sales Geneven-
 sis Diæcesis ex Patre præfati castri Dy-
 nasta die vigesima prima Augusti Anno
 restauratæ salutis millesimo quingente-
 simo sexagesimo septimo, postquam
 vero in Anneciensi Sabaudiaë Collegio
 literis operam navaverat, dein cum
 ad

Sæcul. XVI. ad sacram militiam propensum haberet
A C. 1592 animum, tonsura initiari voluit, evol-
 utis autem aliquot annis postea Parisios contendens ibidem linguarum studio sub Genebrardo, Philosophiæ autem, & Theologiæ apud Jesuitas sub Maldonati cura incumberebat, inde vero in Sabaudiam reversus a suo Patre Patavium mittebatur, ubi celebris Panciroliæ magisterio usus jurisprudentiæ vacabat, Doctoratus laurea decoratus: porro Patavio secedens Romam venit, sanctorum Apostolorum limina salutaturus, mox autem a Patre suo in patriam revocatus Cambiensis Senatus Advocatus creabatur: verum cum animus ejus ad ecclesiastica munera propenderet, paulopost hoc vitæ genus deseruit, vestemque sacram indutus, ac Genevensis, & Anneciensis Ecclesiæ Præpositus sacris Ordinibus initiabatur.

Hic tenerrimo prorsus affectu a Claudio Graniero Episcopo suo diligebatur, qui eidem, postquam nonnisi sacrum Diaconatus Ordinem receperat, jam tum, quod olim ei in Episcopali munere successurus esset, vaticinatus est, ac tunc etiam in Univerſa sua Diœcesi Verbi divini prædicandi curam eidem commisit. Paruit Salesius, ac vix unquam ullus alius divini Verbi Præco cum successu magis prompto,
 magis-

magisque miro hoc munus obiisse vi-
detur. Sæcul. XVI.
A.C 1592.

§. XXI.

*Maxima Salesii felicitas in revocandis
hæreticis.*

Vix Salesius Turnonii Chabelliacensis *Marf. &
Baill. l. c.*
Ducatus urbe Verbum divinum an-
nuntiare cæperat, cum illico plusquam
sexcenti apertis animi oculis errores,
quibus antea fascinati erant, detesta-
rentur: postea varios pagos assidue per-
vagatus pauperes rusticos Christianæ
doctrinæ præceptis imbuebat, atque
illorum salutem singulari proffus studio
procurare adlaborabat, nec vitæ peri-
culis, quibus sæpius exponebatur, ter-
ritus, neque exantlatis in tam ampla,
tamque ardua expeditione, quæ in-
tegræ Virorum Apostolicorum Socie-
tatis vires exhaurire posset, laboribus
frangebatur, nec insultibus absterreba-
tur hæreticorum, qui eum tanquam
Magum, & Veneficum traducebant, fre-
quenterque ejus vitæ insidiaban-
tur: nihilominus obstinatissimos quos-
que sua mansuetudine, constantia, pie-
tatisque exemplis superabat; unde juxta
Historicorum ejus vitam describentium
relationem ab anno Incarnationis Do-
minicæ millesimo quingentesimo nona-
gesimo secundo usque ad annum Do-
mini

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.
mini millesimum sexcentefimum secundum tunc Genevensis Episcopus Christo, & Ecclesiæ plus quam septuaginta hæreticorum millia lucrificit.

§. XXII.

Germaniæ tumultus ob Argentinensem Episcopatum.

Thu. l. 104.
Lett. Card.
Offat. t. I.
lett. 34.
pag. 489.
Hoc anno in Germania ingentes suscitabantur motus occasione nata ex obitu Comitis de Manderscheit Argentinensis Episcopi, qui die secunda Maji senio gravis in oppido Tabernarum vitam cum morte commutabat. Post mortem ejus cum Successor ejus deligendus esset, præprimis de loco in quo electio fieri debebat, inter suffragatores minime conveniebat; quippe Majorum Religioni addicti Tabernis, Protestantes vero in Urbe, ut conventus indiceretur, postulabant, quamobrem cum contendendum animi incallescere cæpissent, Imperator ad Canonicos perscribebat, se brevi missurum Legatos, qui Sede vacante, nequid Diæcesis detrimenti capiat, illam administrarent: insuper idem Senatui præcepit, ne Canonicis pacem turbantibus opem ferret. Attamen Protestantes numero superiores spreto Cæsaris imperio die trigesima Maji habito conventiculo animi sui propositum Catholicis manifestabant, mox-
que

Sæcul XVI.
A.C. 1592.

que ad electionem procedebant, ac præprimis Doctor Joannes Pappus confenso suggestu ad suffragatores orationem habuit ex Epistola B. Pauli ad Timotheum Discipulum suum de virtutibus, ac conditionibus boni Episcopi differens, ubi eos hortabatur, ut illum eligant, qui nullo sectario veneno infectus, sed sanæ doctrinæ sit addictus, prout ea in sacris literis, Apostolicisque scriptis, in tribus primariis Symbolis, quatuor Synodis Oecumenicis, & in confessione Augustana traditur. Finita concione, & præmissis Protestantium more precibus, in suffragia itur, eligiturque concordibus votis Joannes Georgius Brandeburgicus non nisi quindecim annorum Princeps, qui tamen hanc electionem ratam se habere per procuratores professus, ad omnia loca Diæcesi subjecta, Præfectos, ac Magistratus literas dabat, atque illis, ut ipsi tanquam Episcopo, ac legitimo Principi obtemperarent, imperabat: vicissim vero Canonici Catholici, qui Tabernis erant, cum Legatos a Cæsare, prout promiserat, mittendos frustra expectarent, diem nonam Junii eligendo alteri Episcopo constituunt, eamque dignitatem Carolo Lotharingio Cardinali, qui jam pridem hunc Episcopatum

Hist. Eccles. Tom. LI.

R patum

Sæcul XVI. patum ardentè concupiverat, con-
A.C. 1592. ferunt.

Hic etiam impositum onus non sine animi sui lætitia acceptat, cum vero in sui Episcopatus possessionem, more solemnè missus esset, arces, ac ditioris suæ castra, quæ Senatus jamjam Joannis Georgii Brandeburgici nomine vi occupaverat, sibi restitui petiit, minitatus, si ipsi satisfacere renuerent, se jus suum armis profecuturum. Senatus igitur parere renuente Lotharingius decem millium exercitum contraxit, atque utrinque sæpius pugnatum, nil tamen decisum, ubi frustra etiam Cæsaris Legati, necnon Helvetiorum Pagi suas interposuere partes; quapropter Cæsar, cum omnes hæc concordie vias eludi cerneret, sua auctoritate utendum ratus, fecialem Argentinam ablegat, qui Capitulum, & Senatum hortaretur, ut arma deponerent, militem Sacramento solverent, & controversiam Cæsaris iudicio, ejusque Deputatis hanc in rem nominandis, dirimendam relinquerent: Imperator ergo ad componenda eorum dissidia ob Lotharingium Cardinalem exorta, nominat Deputatos, iique numero erant sex, qui anno sequenti Diæcesis regimini prospicientes prohibebant, ne quicquam immutaretur, sed ultimum iudicium decisioni Cæsareæ suæ

suæ Majestatis relinqueretur: nihilominus hæc lis non nisi Anno post Christum natum millesimo sexcentesimo quarto penitus decisa fuit.

Sæcul.XVI.
A.C.1592.

§. XXIII.

Alii tumultus in Saxonia ob Religionis diversitatem exorti.

Non minus hoc eodem anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo in Religionis negotio graves tumultus in Saxonia Calvinistas inter, & Lutheranos oriebantur; quippe cum Fridericus Guilielmus Saxoniae Administrator quemdam conventum Torgaviæ celebraret, Provinciæ Ordines postulabant. I. Auctoritate Principis famosi Sacramentariorum libelli prohibeantur, atque in auctores cuncti Magistratus pœnam irrogent. II. Singularis inquisitio ac diligentia adhibeatur, ut Calvinianorum latentium, ac se diffimulantium ratio ineatur, atque a Scholis, Ecclesiis, ac administratione publica removeantur. III. Theologi, qui carcere detinentur, tanquam perjuri, & a concordiae formula, cui subscripserunt, perfide desciscentes, ac criminum complices rursus interrogentur. IV. Administrator in juvenis Principis institutione summam curam adhibeat, virumque doctum, pium, & religioni

Thuan. l. 6.
Spond. hoc
ann. n. 13.

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

ligioni patriæ addictum, pueritiæ ejus erudiendæ præficiat. His petitis annuebant Lutherani, moxque juxta hæc postulata decretum contra Calvinistas condebatur, ex quibus non pauci suos errores scriptotenus ejurarunt, appposito etiam suo chirographo. Præterea scripto proponebantur articuli, in quibus Calvinii, & Sacramentariorum doctrina a Confessione Augustana, & Lutheri hæresi differebat: demum vero illi, quorum fides suspecta erat, ad ejurandas hæc doctrinas vi adigebantur.

§. XXIV.

Lutherani mortuo Joanne Casimiro ad Palatinatum redire prohibiti.

Thu. l. 104.

Sub idem tempus Calvinistæ vim sibi a Lutheranis illatam ulciscendi opportunam nanciscebantur occasionem, dum illos dextere præpediebant, ne prout tamen speraverant, post obitum Joannis Casimiri, qui Friderici Palatini Electoris Filius erat, ad Palatinatum redirent. Ceterum hic idem Princeps hoc anno die decima sexta Januarii vivis ereptus tam Palatinatum, quam Electoralem dignitatem administrabat, Friderico Ludovici fratris sui Filio adhucdum tutorum potestati subiecto, hic vero ad Patris sui exemplum Protestantium, qui apud Helvetios, & Gallos

Gallos erant, sectam amplectebatur, unde etiam in Franciam auxiliares copias, ut supra meminimus, in Hæreticorum opem adducebat, quin tamen amplæ de ipso conceptæ spei operis præstantia satisfaceret: mortuo autem Casimiro Richardus de Simmeren, juveni Friderico proxime sanguine junctus, Provinciæ, quæ ad hunc pupillum pertinebat, administrationem haud ægre a Cæsare impetrabat; ipse enim se Calvinistarum Ministros ejecturum pollicebatur, eo animo, ut Confessionis Augustanæ usum illuc introduceret: verum Richardi consiliis vehementer obluclabantur Palatini Ordines, firmiter contententes, quod juvenis hic Princeps utpote jamjam decimum octavum ætatis suæ annum agens rerum summæ ipse præesse valeret, atque ex aureæ Bullæ præscripto Electoratu administrando par esset: demum Richardus de Simmeren post crebras altercationes ultro, citroque habitas sese submisit, exclusis a Palatinatu Lutheranis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

§. XXV.

Cardinalis de Mendoza mortuus.

Hoc item anno Ecclesia quinque Cardinalium mortem lugebat, ex quibus duo, Joannes de Mendoza, & Hieronymus de la Rouere sede vacante, reliqui

Ciac. vit.
Pontif. t. 4.
pag. 183.
Tom. 1. 103.
Aubery vie
des Card.

R. 3

Sæcul. XVI
A.C. 1592.

reliqui vero tres, Julius Cananius, Philippus Lenoncurtius, & Vincentius Laureus post Clementis VIII. electionem vivis erepti fuerant. Porro Joannes de Mendoza natione Hispanus, Infantatus Ducis, & Mariæ de Mendoza Filius erat, qui postquam Philosophicis, & Theologicis disciplinis in Complutensi Universitate operam navaverat, Salmanticæ, & Toleti Canonicus, postea Talaveræ Archidiaconus, & Decanus, demum ad Philippi II. preces, & nominationem a Sixto V. Papa Romanam Purpuram obtinuit, nominatus Cardinalis titulo sanctæ Mariæ Transtiberim, isque numero quintus erat, qui ex nobilissima Mendozarum familia hac dignitate inclaruit: biennio autem post suam inaugurationem Joannes Romam contendit, ubi in publico Purpuratorum Senatu ab ipso Pontifice rubro galero donatus, Ecclesiæ Talaveranæ Decanatum jubente Sixto V. juxta Concilii Tridentini decreta dimisit, non tamen sine quadam animi sui commotione: regnante tamen Gregorio XIV. hanc dignitatem rursus impetrabat, ac tertio post anno Ferdinando Medicæo Romanam Purpuram exuente, atque in Magnum Etruriæ Ducem electo, Hispaniæ Protector creabatur. Interfuit etiam comitiis, in quibus Urbanus VII.

VII. Gregorius XIV. & Innocentius IX. Sæcul XVI,
A.C.1592.
ad divi Petri Cathedram evehebantur: tandem vero calculi morbo afflictus die octava Januarii hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo ac ætatis suæ quadragesimo quarto, obiit, corpusque ejus in Templo Jesuitarum deponeretur, donec in suam patriam transferretur: in ejus vero exequiis Vincentius Blasius Garzia orationem funebrem pronuntiabat.

§. XXVI.

Hieronymi de Rouvere Cardinalis obitus.

Alter erat Hieronymus de Rouvere Ciac. p. 161.
Ughel. Ital.
Sacv. Vinc.
Robard. de
gestis Sixti
V. Aubery
l. c.
Pedemontanus Taurini mense Januarii circa annum Christi millesimum quingentesimum trigesimum natus ex parentibus Lælio de Rouvere, & Joana Comitissa de Plansaco, quæ ex nobilissimo orta erat genere, nam hoc duobus Pontificibus, & undecim Cardinalibus inclaruit. Ceterum Hieronymus tam Parisiis, quam Papiæ, & Patavii semper in literis eminens sua præcipue eloquentia celebrabatur, unde etiam binas orationes funebres in Henrici II. & Francisci II. Franciæ Regum exequiis habere rogatus tanta meritorum fama sese celebrem reddebat, ut anno salutis nostræ millesimo quingentesi-

R 4 mo

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

mo quinquagesimo nono Tuloniensis in Provincia Archiepiscopus, ac demum anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Taurini in patria sua Archipræsul renuntiaretur: eodem autem anno ad Sabaudia Ducis preces Cardinalis tit. sancti Petri ad Vincula nominatus, Ordinisque Fratrum Minorum Conventualium Protector selectus sacris interfuit comitiis, in quibus Urbanus VII. Gregorius XIV. & Innocentius IX. Romani Pontifices salutabantur: postremum vero habebatur conclave, dum Hieronymus in brachiis Aldobrandini Cardinalis, qui tum Pontifex eligebatur, die vigesima sexta Januarii animam Deo reddidit. Vix decesserat, cum illico ad Sixti Sacellum deferretur, indeque a Canonicis sancti Petri ad vincula delatus ad eandem Ecclesiam, ibidem terræ mandabatur.

*Acta eru
Lip. ann.
1683. t. 2.*

Hic idem præter binas orationes gallicas, quas, ut memoravimus, in obitu Henrici II. & Francisci II. pronuntiabat, insuper orationem latinam in laudem Cardinalis Julii Rouvere, atque alteram in die anniversaria inaugurationis Pauli III. ac tertiam denique ad Julium III. Guidobaldi de Rouvere Urbinatis Ducis nomine concinnabat. Scripsit etiam adhuc Juvenis varia poemata

mata heroica, & lyrica, quæ ob eximiam styli puritatem, magnamque imaginationis felicitatem plurimi habentur: verum raro admodum ibidem leguntur festivi sales, ac facetiæ, id tamen vitio potius vertendum videtur ejusdem Magistris, cum Hieronymus, dum hæc carmina scripserat, nondum decimum ætatis suæ annum compleisset. Ceterum Jesuitæ sua Collegia Cambrini, & Taurini erecta hujus Cardinalis liberalitati debent.

Sæcul. XVI.
A C. 1592.

§. XXVII.

Cananii Cardinalis mors.

Julius Cananius nobilis Ferrariensis anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo quarto primam lucem aspexit, percursoque studiorum curriculo Romam concessit, ubi ad varias dignitates evehebatur, adjutus patrocinio Cardinalis de Monte, a quo ad Pontificatum electo sub nomine Julii III. gravissimis Ecclesiæ negotiis præficiébatur, atque utriusque, ut vocant, Signaturæ præpositus Adriensi Episcopatu augebatur: mortuo autem suo Mæcenate ad suam Diæcesin reversus ibidem omnes egregii Pastoris partes explebat: interfuit etiam Tridentino Concilio, ubi ob raram suam pietatem, atque eruditionem a Patribus plurimi habebatur,

Ciac. p. 77.
Ughel. l. c.
Selligard.
Catal. Mutin. Antist.

Sæcul. XVI
A.C. 1592

bebatur, atque etiam a Ferrariensibus Ducibus in maximi momenti negotiis adhibebatur, quo munere Julius perhonorifice defunctus ad horum Ducum preces a Gregorio XIII. rubro galero decorabatur, quem etiam Mense Decembri anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octogesimo tertio recepit unacum sancti Eusebii titulo, quo tamen dimisso postea titulum sanctæ Anastasiæ optabat. Demum sedente Sixto V. Æmiliæ Legatus, atque a Gregorio XIV. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo Mutinensis Episcopus renuntiabatur: cum vero ob ejusdem Papæ mortem usque ad Clementis VIII. electionem Romæ subsistere cogeretur, tardius ad suam Diæcesim reversus ibidem Ecclesiæ suæ Cathedralis chorum ruinæ proximum restaurare cæperat: verum Ferrariæ, quo Ducem visum ibat, morte præventus die vigesima nona Novembris anno ætatis suæ septuagesimo secundo mortalitatem exiit. Corpus ejus triduo in Ducali Sacello expositum postea ad Templum sancti Dominici transferebatur, ubi Dux defuncto magnificis profusus exequiis parentabat.

§. XXVIII.

Lenoncurtii Cardinalis extrema.

Quar-

Quartus ex Cardinalibus, qui hoc an-
 no fati cessere, erat Philippus Le-
 noncurtius Nantolii Hoduini Comitis
 Filius, qui in arce Coupevray nuncu-
 pata haud procul a Parisina urbe anno
 Christi millesimo quingentesimo vigesi-
 mo septimo in lucem editus fuit, postea
 vero a patruo suo Roberto Lenoncurtio
 Cardinale Embrodunensi Archipræsule,
 ac postea Metensi Episcopo in Italiam
 ducebatur, ubi plurimorum amicorum
 benevolentiam sibi conciliabat, a quibus
 non modo ob generis sui nobilitatem,
 sed etiam meritorum præstantiam ma-
 ximi habebatur: inde in Franciam re-
 versus sacræ militiæ nomen dedit, plu-
 ribus auctus Abbatibus, præcipue autem
 ab Henrico III. Franciæ Rege, cujus gra-
 tiam, ac benevolentiam sibi demereba-
 tur, anno reparatæ Salutis millesimo
 quingentesimo septuagesimo octavo in
 Menle Decembri Ordinum suorum Com-
 mendator, necnon Catalaunensis, &
 postea Antisiodorensis Episcopus nomi-
 nabatur: demum ad Navarræ Regem de-
 cernebatur, ut eundem ad ejurandam
 Calvini hæresin induceret: cum vero o-
 peram luderet, ab Henrico III. Romam
 ablegabatur ad Sixtum V. summum
 Pontificem, a quo etiam anno post Chri-
 stum natum millesimo quingentesimo
 octogesimo sexto Cardinalis titulo sancti
 Onu-

Sæcul. XVI.
A.C. 1592.

Ciac. p. 162.
Frix. Gall.
Purp. San-
marth. Gall.
Christ.

Sæcul. XVI
A. C. 1592
Onuphrii ad Franciæ Regis preces electus est, ac paulo post ab eodem Pontifice in meriti sui præmium Congregationi pro concinnando librorum prohibitorum indice erectæ præficiëbatur, insuper etiam a Sixto V. post Ludovici Lotharingici obitum anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo nono Rhemensem Archiepiscopatum obtinuit, quam etiam Ecclesiam per tres annos gubernabat: tandem vero die decima tertia Decembris anno ætatis suæ sexagesimo quinto in Episcopali sua urbe mortuus, ibidem in sacello, quod ejus Patruus construi curabat, sepultus quiescit.

§. XXIX.

Vincentii Laurei Cardinalis fata.

Ciac. p. 89.
Taucan. 83
Ughel. t. c.

Postremus denique Cardinalis nomine Vincentius Laureus nonnisi paucis diebus post Lenoncurtii Cardinalis obitum vita superstes erat. Hic mense Martio anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo vigesimo tertio Tropeæ Calabriæ Urbe ex mediocri fortunæ, nobilis tamen conditionis parentibus ortum duxerat; ejus enim Pater a Rogerio Laureo, qui olim Petri Regis Arragonum classi præerat, originem duxerat.

Porro

Porro Vincentius in nobilissimis Cassanarum Nuceriae Ducum ædibus educatus Neapoli, & postea Patavii literis operam dabat, ubi etiam græco, & latino idioma, necnon Philosophiæ, & Medicinæ disciplinis imbutus Patavii Doctoratus laurea honorabatur, inde vero Romam contendebat, utpote ad Urbem, in qua ingenii sui dotes ad aliorum utilitatem opportunius impendere posset, unde vix Romam delatus quantocius ad ædes concessit Petri Pauli Parisii Cardinalis, ubi jamjam Hugo Boncompagnus, postea Pontifex Gregorius XIII. morabatur, quocum Vincentius arctum amicitiae foedus inibat: mortuo autem Parisio sua obsequia dicebat Cardinali Gaddio, a quo etiam inter suos familiares cooptatus, tenero colebatur affectu: cum vero hic idem Cardinalis haud diu vita superstes esset, ac quivis Laurei consortium exoptaret, hinc Turnonius Cardinalis illum ad suas ædes accersere certans ceteris prævaluit, eumque non tanquam suum domesticum, sed potius velut fratrem, omniumque arcanorum arbitrum habuit, necnon in ejus favorem duos locupletissimos Prioratus, quos in Alvernia possederat, dimisit.

Post hæc dum Boncompagnus sub nomine Gregorii XIII. ad Universæ Ecclesiæ

Sæcul. XVI.

A.C. 1592.

Sæcul. XVI. clesix regimen assumptus fuerat, Vincentius anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo octogesimo tertio ab eodem Papa Cardinalium Collegio annumerabatur, cum vero sacra haberentur comitia, in quibus Sixtus V. Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. summi Pontifices eligebantur, ipse quoque Vincentius ad supremam hanc dignitatem plures numerabat Suffragatores: insuper, cum in rebus gerendis rara pollet dexteritate, variis honoratus Legationibus præcipue in Poloniam a Gregorio XIII. decernebatur ad Sigismundum Augustum, & postea ad Henricum Valesium, & Stephanum Batorium, apud quem etiam Pontificii Nuntii munus obibat.

Præterea Laureus sua eloquentia apud Joannem Sueciæ Regem tantopere valuit, ut hunc Principem eo inclinaret, quatenus Antonium Posslevinum doctum Jesuitam ad Aulam suam admitteret, qui præter amplam literarum cognitionem insuper in rebus etiam difficillimis, maximique momenti negotiis dextre expediendis mira felicitate præditus Sigismundum, Joannis Filium, totamque ejus familiam ad amplectendam fidem Catholicam inducebat, quo felici Legationis successu Laureus

reus omnium admirationem in se ra-
 piens Pontificio etiam honore dignus
 habebatur: verum ab Hispana factione
 præpediebatur; huic enim Nationi sus-
 pectus erat, eoquod eidem minime pro-
 pensus, e contrario in Navarræ Regis
 aula versatus Henrici IV. Patri pluri-
 mum affectus esset: tandem in postrema
 sua infirmitate, licet acerrimis dolori-
 bus, viriumque imbecillitate confectus
 esset, invitis tamen Medicis e lecto sur-
 gens, Pontificios habitus induebat, ut
 ad suum facellum deferri, atque ibi-
 dem sacrum viaticum recipere posset,
 quo munitus paulo post die decima
 sexta Decembris anno ætatis suæ septua-
 gesimo mortalitatem exiit. Scripserat
 suæ Bibliothecæ hæredes Patres Jesui-
 tas Collegii Romani, cetera autem sua
 bona, quibus abundabat, infirmorum
 Nosocomio relinquebat: illius autem
 Cadaver ad tituli sui Ecclesiam apud
 sanctum Clementem sepultum fuit. At-
 tribuitur eidem vita Cardinalis Turno-
 nii, qui præceteris Laureum amplissi-
 mis cumulabat beneficiis.

§. XXX.

Sancti Pascalis Baylon obitus.

Hoc item anno Hispaniæ Regnum ja-
 cturam deplorabat cujusdam Reli-
 giosi ex Ordine sancti Francisci, qui toto
 vitæ

Sæcul. XVI.

A C. 1592.

Baillet vie
 des Saints
 17. Mars

Sæcul. XVI
A. C. 1592

*Joan. Ximenes apud
Bolland.
Papebroch.
in ejus vita.*

vitæ suæ tempore raris profundæ humilitatis exercitiis inclarescebat. Erat is Pascalis Baylon Torrehermosæ exiguo Seguntinæ Diæcesis oppido circa annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum natus, Patremque habuit operarium, ac ipsemet etiam Pascalis adhuc juvenis pascendis gregibus intentus erat, donec a Deo ad solitudinis amorem incitatus vigesimo ætatis suæ anno ad Discalceatos sancti Francisci Religiosos in Conventu de Beata Virgine Lauretana nuncupato in Valentia Regno prope Montfortium sese reciperet, ubi per quatuor annos domesticæ famuli laboribus occupatus, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto inter fratres laicos assumpto sacro Ordinis habitu cooptabatur. Ibi dem infirmorum curæ, & maxime laboriosis officiis incumbens inter assidua hæc humilitatis, necnon patientiæ, paupertatis, jejuniorum, & austeritatum exercitia sanctam vitam usque ad postremum obitus sui diem transegit; die autem decima septima Maji in Monasterio Villæ Regalis octava leuca a Valentiana Urbe in itinere Barcelloнам versus supremum diem clausit: postea vero miraculorum, quæ ad ejus tumulum fuere patrata, fama, & frequentia Paulus V. permoyebatur, ut de solempni e-

jusdem

jusdem Beatificatione agi præciperet, Sæcul. XVI.
A.C. 1592.
cui etiam anno Salvatoris nostri mil-
lesimo sexcentesimo decimo octavo ini-
tium datum est, ac demum Alexan-
der VIII. die prima Novembris edito
diplomate anno post Christum natum
millesimo sexcentesimo nonagesimo no-
no declarabat, quod absque omni hæ-
sitatione hic Beatus Sanctorum albo
adscribi valeat.

§. XXXI.

*Pretiosa mors Beati Joannis a Cruce
primi Carmelitæ Discalceati.*

Anno priori animam suam Deo reddi- Hieron. a
S. Joseph.
in ejus vita.
Baulet ad
14. Decemb.
dit alius quidam sanctitatis gloria
illustis ex Ordine Fratrum Carmelita-
rum Discalceatorum nuncupatus Joan-
nes de Yopez, hodie vero magis orbi
cognitus sub nomine Joannis a Cruce.
Hic Fontiberi novæ Castellæ oppido in
Abuleusi Diæcesi sito ex nobili familia
anno Christi millesimo quingentesimo
quadragesimo secundo natus Metymnæ
Campi Conventum Carmelitarum in-
grediebatur, atque anno a partu Virgi-
nis millesimo quingentesimo sexagesimo
tertio Beatæ Virginis de Monte Car-
melo institutum amplectebatur: cum
autem hoc vitæ genus non satis auste-
rum crederet, relicto hoc Ordine Se-
goviam ad Carthusianos transire cogi-
tabat:

Hist. Eccles. Tom. LI.

S tabat:

Sæcul. XVI.

A C 1592.

tabat: eodem autem tempore sancta Theresia illum ab hoc proposito dimovens eidem persuasit, ut is in restauranda primæva Carmelitani Ordinis disciplina suam eidem operam jungeret. Ergo pium hoc opus unacum illa aggreditur, tam prospero Zeli sui successu, ut primum Carmelitarum reformatorum, seu Discalceatorum monasterium Duruelli in Abulensi Diæcesi erigeret, ubi postea Novitios sacro Ordinis habitu induit, atque ingenti virtutum incremento restauratum Carmelum propagavit: verum mitigatæ observantiæ Patres illum comprehendi, captumque Toletum abstrahi jubebant, ubi etiam in tenebroso carcere per novem omnino menses hæere cogebatur, tandem non ab illo ergastulo liberatus, nisi ipsius sanctæ Theresiæ auctoritate: insuper plures alias perpeffus est vexationes, quin tamen pium, quod aggressus erat, opus profèqui desisteret. Tandem in Ubedensi Conventu die decima quarta Decembris anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis vero suæ quadragesimo nono dormivit in Domino. Hic idem Sanctus Ecclesiam locupletabat pluribus opusculis mysticis, seu asceticis hispanico idiomate conscriptis, quæ tamen postea in latinum, Italicum, & Gallicum

cum idioma fuere translata, inter quæ Sæcol.XVI.
A.C.1592.
 præcipue celebrantur. I. *Ascensus Montis Carmeli.* II. *Obscura nox Animæ.*
 III. *Viva Flamma amoris.* IV. *Canticum Divini Amoris.* Haud diffitemur, quod in hisce libris tanta sit Mysticæ doctrinæ sublimitas, ut illa plurimum captum superare videatur.

§. XXXII.

Latino - Latinii extrema.

Non desunt, qui ad hujus quoque anni diem vigesimam primam Junii mortem Latino - Latinii referunt, porro is Viterbii circa annum Christi millesimum quingentesimum decimum tertium natus calamum suum in elaborandis ecclesiasticorum Authorum libris utiliter exercebat, atque Senis confecto Philosophiæ, & Theologiæ studio celebriores Italiæ Universitates frequentabat, inde vero Romam profectus potissimos vitæ suæ dies ibidem transebat, toto studio in id incumbens, ut sanctorum Patrum opera collatis inter se antiquis scriptis Codicibus pristinæ integritati redderet. Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, postquam summus Pontifex pro emendando Gratiani decreto Congregationem ex doctissimis Italiæ Viris compositam erexerat, Latinus

*Thu. hist. l. 104.
Dupin Bibl. des Aut. 16.
Siecl. p. 4.
pag. 544.*

Sæcul. XVI
A.C. 1592.

quoque hujus laboris focius plurimum eminuit, ac per tredecim annos præclaro huic operi suas curas sacravit: effi enim admodum imbecillis esset valetudinis, tam provide tamen sanitati suæ prospexerat, ut vitæ suæ curriculum ferme usque ad octogesimum ætatis annum protraheret, tandem vero Romæ mortuus ibidem in Templo sanctæ Mariæ in via lata sepultus est. Erat is suæ familiæ postremus, prout ex finebri illius inscriptione deprehenditur: insuper quædam posteris reliquit ingenii sui monumenta, atque inter alia observationes, seu correctiones in Tertullianum, quæ in pluribus operum hujus Patris editionibus reperiuntur: ceteris vero illius operibus palmam præripit sacra illius, & profana Bibliotheca.

§. XXXIII.

*Joannis Kiszka de Ciechanowitz
exitium.*

*Sandius in
Bibl. Anti-
trin. p. 83.*

Pariter Sociniani in Polonia hoc anno amittebant unum ex præcipuis sectæ suæ fautoribus nomine Joannem Kiskam de Ciechanowitz, quem nonnulli Polonum, seu verius Lithuanum Equitem, ac Castalionis, in cujus memoriam post ejus mortem monumentum poni curabat, Discipulum fuisse referunt. Hic dum ætate maturus variis officiis

officiis præesse poterat, primo genera- Sæcul. XVI.
 lis in Samogitia Præses, Vilnæ Castel- A.C. 1592.
 lanus, seu Rector, necnon Bressici Gu-
 bernator renunciabatur, inde vero di-
 vitiis, ac potentia tantopere crescebat,
 ut septuaginta Urbium, seu oppidorum,
 & quadringentorum vicorum Princeps
 salutaretur: quapropter suarum opum
 abundantia, necnon auctoritate tot di-
 gnitatibus sibi conciliata, Socinianos
 omni data occasione contra omnes il-
 lorum hostes potenter protexit, eis-
 que plures Ecclesias construi curavit, &
 dotavit, atque sine liberis decedens
 Principem Radzivilium omnium suorum
 bonorum, imo etiam infani sui erga
 Socinianos affectus hæredem scripsit:
 nihilominus quantumvis hic Joannes
 abominandæ huic sectæ immoto studio
 patrocigaretur, cum tamen vereretur,
 ne post obitum suum tanquam Soci-
 nianus traduceretur, aliam fidei pro-
 fessionem Socinianæ adversam emitte-
 bat, eidem die sexta Julii paucis ante
 mortem suam horis subscribens. Re-
 liquit hic Vir quasdam literas Ecclesiis
 inscriptas, in quibus omnes hortatur,
 ut Synodum celebrent, ibidemque dis-
 sidia, quæ inter eos circa Magistratum
 electionem, armorumque usum vigent,
 tandem componant.

Sæcul. XVI.

A.C. 1592

§. XXXIV.

*Ordinum comitia a Maduano Duce
indicta.*

*Thu. l. 105.
Avil. l. 13.*

Exente eodem hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo Maduanus Dux ad mensem Januariarium anni sequentis conventum indixerat, ac rursus die quinta ejusdem mensis hac super re edictum promulgaverat, ubi in suo scripto declarabat, quod omnes Principes, Prælatos, Proceres, & Ministros Catholicos regie parti addictos invitet, ut hisce comitiis interessent, junctisque viribus unice ad majorem Dei gloriam, publicamque tranquillitatem ea media excogitari curarent, quæ ad conservandam Religionem, Regnumque magis opportuna censuerint: postea palam contra omnes illos, qui viam adeo honestam aggredi renuerent, reclamabat, atque in eos omnia mala impostera exoritura rejiciebat.

§. XXXV.

*Cardinalis Legati scriptum circa hæc
comitia.*

*Spond. ad
hunc ann.
num. 3.*

*Mezeray
abrégé*

*Chronol. t. 3.
pag. 396.*

Cum in hac Maduani declaratione nulla fieret mentio de eligendo novo ejusmodi Rege, qualem illi, qui hunc Conventum haberi postulabant, eligi inten-

intendebant, hinc Legatus, & Hispaniæ Ministri exinde parum contenti, inter se convenire, mentemque suam verbis magis claris aperire decernebant: itaque decima post die, seu decima quinta Januarii divulgatur scriptum quoddam, veluti quædam Placentini Cardinalis epistola, in qua haud amplius, prout fecerat Maduanus Dux, unice generalis Ecclesiæ commodo, regni tranquillitati prospiciendi voluntas obtendebatur, sed palam omnes Catholici invitabantur, ut comitiis præsentibus Regem nomine, & opere Catholicum, qui sua potentia tam Religionem, quam Regnum tueri posset, eligerent: erat autem titulus hujus scripti sequens. „Ad omnes Catholicos, cujus-
 „cunque dignitatis, status, & conditionis sint, qui hæretici partes sequuntur,
 „ei adhærent, aut eidem quovis pacto
 „auxilium, opemque præstant. „

Postquam igitur Legatus in hoc scripto pluribus verbis suum Religionis Catholicæ studium, necnon singulares in Franciæ bonum curas enarraverat, amare querebatur, quod Pontificibus immerito objiciatur, perinde ac si ab initio, quo tumultus in hoc Regno fuerunt exorti, pacem revocare neglexerint, hinc illorum agendi rationem vindicans inter alia ita differebat.

S 4

„Haud

Sæcul XVI.
 A.C. 1592.

Sæcul. XVI.

A. C. 1592

„Haud diuturnum effluxit tempus, a
 „quo ipsi Galli summorum Pontificum
 „paternum in Gallos animum in cæ-
 „lum efferebant, dum pro amplissimis,
 „quæ in Sedem Romanam a Regum
 „Christianissimorum pietate, munificen-
 „tia, ac fortitudine olim profecta sunt,
 „meritis grati paribus officiis pro virili
 „Pontifices respondebant, quippe sic
 „cum grati animi testificatione exceptæ
 „sunt suppetiæ a Pio V. Papa ad Caro-
 „lum IX. Franciæ Regem contra Secta-
 „rios transmissæ: insuper mirifica in-
 „ter ceteros Pontifices, & Reges Fran-
 „ciæ voluntatum conspiratio, oppor-
 „tuna, crebraque pecuniæ, & copia-
 „rum subsidia, Legatorumque ad illos
 „frequens missio abunde testantur per-
 „petuam illorum constantiam, & ad
 „tuendam Regni salutem, atque digni-
 „tatem promptum, ac paratum sem-
 „per procurandæ tranquillitatis studium;
 „ideo quamdiu veri Catholici, ac ge-
 „nuini Galli fuistis, Pontificum actio-
 „nes vobis suspectæ non erant, & ma-
 „lulistis potius hæreticis leges imponere,
 „quam illas ab eis recipere: pariter pa-
 „cis vestræ studiosos semper summos
 „Pontifices experti estis usque ad ea
 „tempora, in quibus per vestra dissidia,
 „ac altercationes hæresis tantopere
 „apud vos invaluit, ut ea a vobis haud
 „am-

„amplius, uti antea, impunitatem effla- Sæcul. XVI.
 „gitet, sed etiam illos, qui sese tyran- A.C. 1592.
 „nico illius jugo subjicere recusant, ad
 „supplicia rapere attentet.

„In eo statu Regni res erant, dum
 „Sixtus V. summus Pontifex vos a Rege
 „hæretico eximere, vestramque salutem
 „procurare intentus perbenigne exce-
 „perat eos, quos ad illum ablegastis:
 „verum tam opportunam hæretico-
 „rum jugum excutiendi occasio-
 „nem adeo non in rem vestram ver-
 „tere studuistis, ut etiam funestæ pro-
 „speritatis impetu abrepti ea capessere
 „volueritis consilia, quibus hoc Regnum
 „ad hunc, quo nunc agitur, deplo-
 „randum statum redactum ingemiscit.
 „Ea nimirum vis sectarii veneni est, ut
 „multi corruptis judiciis id nunc vitio
 „vertant, quod antea tantopere lauda-
 „bant, ex cujus etiam contagione quoti-
 „die tot absurda, totque pugnancia, quæ
 „inter ipsos audiuntur, proficisci con-
 „stat; nam propalam illi jactant, eò
 „Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, & im-
 „munitates pertinere, ut hæreticus, &
 „in hæresim relapsus pro Rege haberi
 „debeat: verum quid est id aliud, quam
 „inane phrenetici, ac insani hominis
 „somnia, ex eadem contagione ge-
 „neratum, inde nimirum factum ut
 „Cardinalis Cajetanus tam indigne ha-
 „bitus

Sæcul. XVI. „bitus sit, qui tanquam pacis Angelus
A.C. 1592. „in Gallias a Sixto V. missus fuerat,
 „non eo ex fine, ut priscis moribus, le-
 „gibusque antiquatis novas pro illis re-
 „poneret, sed veram, avitamque Reli-
 „gionem sua pietate, ac consilio con-
 „stitueret.

„Is cum frustra vobis exoptulasset,
 „quod avitæ pietatis, ac existimatio-
 „nis, patriæ periclitantis, & publicæ
 „salutis oblitus illius vos partibus adjun-
 „xissetis, de quo nemo nescit, quod ab
 „Ecclesiæ corpore separatus sit, hinc
 „vos ipsi olim hoc eodem nomine in
 „publicis Comitibus eum esse indignum,
 „ut in Christianissimi regni folio sede-
 „ret, sanxistis, cum ejus arma non
 „aliam unquam hausissent sanguinem,
 „quam Catholicorum, insuper hicidem
 „omnia divina, humanaque jura vio-
 „lavit, atque ad extremum optimum
 „Principem Cardinalem Borbonium pa-
 „truum suum, sub sacrilega impuri,
 „hæreticique hominis custodia mœrore
 „tabescentem extinxit: mortuo dein
 „Sixto, & Urbano, cum Gregorius XIV.
 „sedem teneret, Martinus Landrianus
 „Sedis Apostolicæ Nuntius Martio se-
 „quenti missus est, atque is ad literas,
 „quas a Pontifice habebat, amantissimas
 „hortationes addidit, quibus quod aures
 „minime præbueritis, imprimis grave
 „crimen

„crimen erat, sed multo gravius fuit **Sæcul. XVI.**
 „ex eo, quod calumnia pro gratulatio- **A.C. 1592.**
 „ne repensa sit, nam contumeliose,
 „prout cunctis notum est, indignisque
 „modis habuistis non modo illam mem-
 „branam sensus expertem, in qua Pon-
 „tificis voluntas perscripta erat, sed
 „ipsum in ea supremi Ecclesiæ capitis
 „nomen, ac proin ipsam Sacræ Sedis
 „auctoritatem, adeo, ut in uno crimine
 „tot novæ scelerum formæ comprehen-
 „dantur, quot adulterinum utrumque
 „Turonensium, & Catalaunensium con-
 „venticulorum Senatus consultum vo-
 „ces includit.

„Ast vos horrenda, stupendaque
 „hæc crimina aure surda præterire
 „sinebatis, uti illa etiam, quæ dein-
 „de Ecclesiastici nonnulli perpetrarunt,
 „qui Conventui Carnutensium interfue-
 „runt: interim maximam quoque de
 „communi Galliæ salute sollicitudinem
 „attulit Innocentius IX. paucorum die-
 „rum Pontifex, cujus in locum mox sus-
 „fectus est Clemens VIII., in quem, ut
 „primum supremum Apostolatus fasti-
 „gium ascendit, omnium mentes, ocu-
 „lique conversi sunt, ut in splendidissi-
 „mam clarissimi solis lampadem, quam
 „terris luminum parens, omnisque Deus
 „consolationis ostendit, ad densissimas
 „ærumnosi hujus sæculi tenebras dissi-
 „pandas;

Sæcul. XVI. „pandas: attamen cum certissimam
A C. 1592. „quisque spem concepisset, omnes ad
 „excipiendos tam salutaris lucis radios
 „linum mentis aperturos, ac tanto au-
 „ctore, & auspice ad Catholicæ Reli-
 „gionis signa se recepturos, tunc adul-
 „terinum aliud Senatus consultum e-
 „merferat in Apostolicas de mea lega-
 „tione literas Catalauni excusum; hæc
 „tamen hæctenus excusantur ab iis, qui
 „interim hæretico parent, quod spe-
 „rent, fore, ut ille ad meliorem fru-
 „gem redeat, quamprimum vinculis,
 „pœnisque a Pontifice expediatur; nunc
 „igitur cum videant, Henricum Bor-
 „bonium in hæresi pertinaciter animum
 „obfirmare, reliquum est, ut cum om-
 „nibus toto in regno Catholicis pro-
 „nuntient, nihil sibi magis curandum,
 „quam ut Christianissimo, vereque Ca-
 „tholico Regi constituendo, cui pareant,
 „in commune consultent; hoc enim sen-
 „tire prudentiæ est, facere fortitudinis,
 „simul vero sentire, & facere perfectæ,
 „cumulatæque virtutis: ad id autem
 „perficiendum nulla æquior, aut
 „honestior iniri posset ratio, quam Co-
 „mitiorum convocatio: hortamur igitur
 „tur vos, ut in ea re Papæ consiliis
 „vestra consilia jungatis, atque illud,
 „quod Ecclesiæ, Religioni, ac patriæ
 „debetis, officium omni procul cuncta-
 „tione

„tione exsolvatis: imprimis ergo cum Sæcul. XVI.
 „Maduano Duce votis, animisque con- A.C.1592.
 „spiretis, qui cum admirabili pietatis,
 „constantia, magnique animi laude in
 „hoc laborat, ut nobilissimum Franciæ
 „diadema intactum, integrumque ser-
 „vet, & catholicam Religionem,
 „veramque Ecclesiæ Gallicanæ liberta-
 „tem propugnet, in eo præcipue sitam,
 „nequando illi hæreticus jugum im-
 „ponat.,

„Proinde ab hæreticis sejuncti fidem
 „publicam, ceteraque flagitetis, quæ
 „vobis opus esse videbuntur, ut ire li-
 „bere, ac redire, dicere, ac propo-
 „nere, quæ ad negotii tanti explicatio-
 „nem occurrent, opportune liceat; Ma-
 „duanus quoque in id suam fidem ob-
 „stringit, nec minus ego vos in fidem
 „meam, seu sanctæ, & Apostolicæ Se-
 „dis tutelam nomine summi Pontificis
 „recipio.,

Hoc scriptum die vigesima septima
 Januarii Sigillo munitum Revolius, qui
 in hoc Conventu a secretis erat, eadem
 die ad Parisiensem Ordinum confessum
 per tubicinem transmisit.

§. XXXVI.

*Colloquium a Catholicis Regi additis
 propositum.*

Hisce

Sæcul. XVI.
A.C. 1593

Thu. l. 105.
Spond. n. 4.
Avil. l. c.

Hisce declarationibus Rex aliud scriptum opponerebat, quod nomine Principum, Prælatorum, Procerum, aliorumque Catholicorum Regi integra fide subjectorum divulgabatur, ubi Rex ita perorabat: „Equidem Dux Maduanus scripto illo, tam suo, quam suæ factioni addictorum nomine profitetur, conventum, qui Lutetiæ Parisiorum celebratur, pro Religionis, & publicæ tranquillitatis bono inditum esse, id tamen minime regie parti addicti sperare audent, cum ceteris ad illum liber accessus non pateat, propterea potius credunt, ex continuato hoc bello Religionis Catholicæ, Regnique exitium promoveri, hinc Principes, Præsules, ac Proceres, qui in aula sunt, vicissim tam suo, quam aliorum Catholicorum, Regis partes sequentium, atque in causa Religionis, necnon in obsequio, quod Regi debent, unanimiter perseverantium nomine, Regis permisso, atque auctoritate Maduano, aliisque eisdem familiæ Principibus, Præsulibus, ac ceteris, qui Lutetiæ convenerunt, denuntiant, tunc, si delegatos e suo numero viros egregios ad loca inter Urbem, & Dionysii-sanum commoda miserint, ibique de Religione, & Regni salute in commune consultetur,

„fore,

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

„fore, ut & ipsi suos Deputatos tem-
pore condicto mittant: quod si Madua-
nus Dux, ejusque fautores id facere
recusent, & potius ducant ad extre-
ma contra Regni leges descendere, &
cum regno Religionem manifesto pe-
riculo objicere pergant, & a Majorum
virtute degenerantes Hispanorum de
Francorum dementia superbe trium-
phantium libidini patriam exponere,
tunc protestantur omnes Principes, &
Præfules Regis partibus addicti de in-
nocentia sua, ac culpam tot calamita-
tum in eos merito rejiciunt, qui ambi-
tione cæci omni concordie abjecta ra-
tione, gloriæ Dei, & Regni saluti pri-
vata commoda præferunt. Postea
per tubicinem hæc epistola a Revolio
secretioris Senatus Ministro subscri-
pta Lutetiam ad Conventum eadem
die mittebatur.

§. XXXVII.

*Regis scriptum adversus comitiorum
celebrationem.*

Biديو post Rex, cujus jussu id actum
fuerat, edictum proponit Maduani
Ducis scripto contrarium, quo die vi-
gelima nona ejusdem Mensis de egregia
sua erga Rempublicam voluntate quæ-
dam paucis verbis honorifice præfatus
ita perorabat: „permolestum mihi ac-
cidit,

Sæcul XVI.
A.C. 1593.

„cidit, quod in ea tempora inciderim,
 „in quibus plerique a pristina contestate
 „veterum Francorum erga Reges suos
 „fidei gloria degenerant, consiliaque
 „sua, ac vires ad regiam auctoritatem
 „oppugnandam vertunt, quæsito Reli-
 „gionis, quam falso mentiuntur, co-
 „lore, cum tamen nullo non tempore
 „nil ardentius, quam publicam tran-
 „quillitatem, regni que salutem exopt-
 „taverim: an vero bellum nefarium,
 „quod beatæ memoriæ Henrico Regi
 „semel, atque iterum intulerunt, Re-
 „ligioni assignandum? cum ille Catho-
 „licam Religionem summo studio sem-
 „per amplexus sit, & ab ejus instituto
 „devios tunc, cum eum Cæsaroduni
 „obsederunt, armis persequeretur, nunc
 „vero idem illi contra me bellum eo-
 „dem prætextu persequi ajunt: quam
 „autem id falsum sit, jam luce clarius
 „ab omnibus cernitur, quanto enim
 „rectius, ac studiosius id obtenditur,
 „tanto magis eminent scelus, & appa-
 „ret; jamque omnibus constat, quod
 „hunc, quem intuentur, & sentiunt,
 „conspirantem in patriæ exitium scele-
 „ratorum consensum, non Religioni,
 „sed tribus causis tribui oporteat, ac
 „primo quidem improbitati eorum, qui
 „incredibili Regni occupandi, ac distri-
 „pandi ardore flagrantes se perditæ
 „factio-

Sæcul XVI.
A.C.1503.

„factioni Duces præbuerunt; secundo
 „id adscribendum venit exteris regni
 „hostibus, qui hanc idoneam magis,
 „quam antea, evertendi imperii occasio-
 „nem nacti pro inveterato odio se iis
 „auxiliares ultro adjunxerunt; tertio,
 „ac postremo id imputetur nonnullis ex
 „infima plebe perditis hominibus, qui
 „a fortuna derelicti, & aliorum secun-
 „das res malignis oculis intuentes ex o-
 „pumparandarum desiderio, ac propter
 „innumera, quæ perpetrarunt scelera, ju-
 „stitiæ poenam veriti impunitatis spe
 „se ad eorum partes aggregarunt, ut
 „libere deprædari, ac divitias corra-
 „dere valerent: cum autem ita fere di-
 „vinæ providentiæ in omnes partes ad-
 „mirandæ ratio comparata sit, ut ex
 „detestandis quibusque facinoribus e-
 „tiam id, quod suam gloriam illustret,
 „eliciat, & exprimat, nullo illustriori
 „id exemplo probari potest, quam Ma-
 „duani Ducis, qui nefaria sua consilia
 „scripto ad habendum Lutetiæ conven-
 „tum, quem comitia appellare audet,
 „edito, quasi propria confessione pro-
 „didit, ac patefecit: nam cum ejus
 „ratio omnis in hoc potissimum labo-
 „ret, ut probitatis simulatione boni viri
 „speciem tueatur, nihilque præcipuum
 „sibi arrogare videatur, nullam tamen
 „suæ in patriam impietatis, ambitionis,
 „teme-

Hist. Eccles. Tom. LI.

T

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

„temeritatis nunquam auditæ, sui que
 „animi patriæ salutis infesti, clariorem
 „testificationem dare potuisset, quam
 „cum edicto condito, ac sigillo regio
 „firmato regni comitia indixit; id enim
 „omni tempore ad solos Reges pertine-
 „bat, hocque jus a nullo alio usurpari
 „valet; videtur quippe in apicem regni
 „fastigii evadere, & crimine Majestatis
 „læiæ teneri, quicumque principatus
 „insignia sumit, & regia jura usurpat.
 „Ast ea, quæ Dux ille postea subjicit,
 „quis tam rudis, & imperitus, qui non
 „falsa protinus pronuntiet? Salicam
 „legem, ne debitum mihi obsequium
 „deferant, obstare ait, quæ lex regno
 „salutaris cum regno cœpit, ad quam
 „Franci non facti, sed nati, non docti,
 „sed educati sunt, cui secundum Deum
 „acceptam ferunt perpetuam, & tot
 „seculorum serie florentem imperii sui
 „incolumitatem: porro illi, qui juxta
 „hujus legis præscriptum, ac Dei vo-
 „luntatem ad regnum capeffendum ac-
 „cedit, injuria fit, cum res jam inde
 „a constituto regno certa, nunc in con-
 „tentione ponitur; nam Salicæ legis
 „ea vis est, ut nullo jure ei derogari
 „possit, nec Reges ipsi, qui legibus so-
 „luti sunt, in eam jus ullum habent:
 „itaque frustra objicitur Blessense decre-
 „tum in comitiis anno millesimo quin-
 „centesimo

„gentesimo septuagesimo octavo condi- Sæcul. XVI.
 „tum; quippe legis est, non regis, de A.C. 1593.
 „regni successione decernere; insuper
 „quis sanus ea comitia pro legitimis
 „habeat? in quibus libere sentiendi, &
 „sententias dicendi facultas probis eri-
 „pitur, dum cuncta ad convellendam
 „proximi Regis auctoritatem, & ad con-
 „jurationem, cujus nunc mala cuncti
 „experiantur, adversus eum ineundam
 „comparata sunt, prout omnibus ab-
 „unde constat: nonne Regi ipsi vim illo
 „conjuratorum hominum conciliabulo
 „fuisse illatam constat? an enim par-
 „est credere, quod prudentissimus
 „Princeps eam legem violare voluerit,
 „quæ Francisco ayo ad regnum pate-
 „fecit aditum? nonne ipsi illius violan-
 „dæ auctores decreto steterunt? nam
 „si Maduanus Dux illud non iniquum,
 „imo irritum judicasset, cur se vacan-
 „tis regni, nec Cardinalis Borbonii, ad
 „quem per hoc edictum corona spectaf-
 „set, Vicarium indigitabat? cur non
 „regium nomen ipsi Cardinali defere-
 „bat? cur post injuriose abrogatum Regi
 „defuncto imperium non statim, dum
 „immani parricidio interfectus est, eum
 „regio nomine insignivit? plus enim
 „trimestre elabi passus est, usurpatis in-
 „terim regiis titulis, antequam ejus
 „nomen actis publicis inferendum cu-
 „raret?

Sæcul. XVI.

A.C. 1593.

„raret? id indicio fatis est, quod de-
 „cretum Blessense ipsi, qui illud tan-
 „topere venditant, pro ludibrio habue-
 „rint, & Maduanus interim se alieno
 „nomine muniverit, ut suas opes fir-
 „maret, & sensim pedem in dignitatem
 „regiam inferret, inque summæ domi-
 „nationis possessionem vestigium pone-
 „ret. Ceterum ex eo, quod sacra in-
 „auguratio tantopore desiderata, mihi
 „desit, non est, cur propterea quisquam
 „bene erga Francicum nomen affectus
 „a fide, & obsequio discedat; regia
 „enim Majestas sibi sufficit, suisque vi-
 „ribus nititur, nec quæsitis aliunde
 „præsidis eget; quippe post dignitatem
 „acquisitam, cum multa contingere
 „possint, quæ moram, & impedimen-
 „tum consecrationi adferant, ea tamen
 „minime fraudi esse debent, quo minus
 „illo temporis intervallo Reges censu-
 „di sint, & populi eorum dicto obedi-
 „tes esse debeant, quippe nihil, ac ne
 „minimum quidem, inter Regem, re-
 „giamque potestatem intercedit, nec
 „in regia dignitate separatum quiddam
 „extra regni administrationem dici, aut
 „fingi potest: an enim ego ipse primus
 „sum, qui ante inaugurationem regnum
 „capefivi? neque vero recusato, prout sæ-
 „pius professus sum, si erroris coarguar,
 „quin meliora in religione amplectar,
 „& sa-

„& sacris solemnibus, ac cæremoniis, Sæcul. XVI.
 „quæ in consecratione ex veteri Majorum A.C.1593.
 „instituto usurpari solent, si quando res
 „postulabit, defungar, eaque omnia
 „faciam, quæ ad populi mei promeren-
 „dam gratiam, & solvendo scrupulis
 „animos requirentur: verum Catholi-
 „corum in eo æquitatem desidero, quos
 „æqui, bonique consulere par sit, si ab
 „ea Religione, quam cum lacte suxe-
 „ram, statim deficere, aliaque com-
 „mutare, nisi dum melius edoctus eam
 „veram esse compertum habeam, persua-
 „deri non possim, nam ea in re majo-
 „rem cautionem censeo adhibendam,
 „eo quod summa salutis æternæ in eo
 „versetur, & ego plures meo exemplo
 „in eundem sensum sim pertracturus:
 „itaque sæpius de Concilio adver-
 „sarios interpellavi, non ex eo, ut
 „Conciliorum auctoritatem, quod per-
 „duelles jactitant, convellerem, sed ut
 „in eo cum iis, qui eandem doctrinam
 „amplectuntur, de errore edocear: alio-
 „qui si Concilio denuo retractari, quæ
 „aliis Conciliis decisa sunt, vitiosum
 „esse sequeretur, omnia posteriora Con-
 „cilia, quæ priora confirmarunt, vitio
 „celebrata essent: si tamen expeditior
 „ad institutionem via commonstrari
 „potest, eam minime aspernabor, ejus-
 „que rei satis clarum documentum dedi,
 T 3 „cum

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

„cum Principibus, Præfulibus, aliis-
 „que, qui a meis partibus stant, lega-
 „tionem ad Pontificem mittendi pote-
 „statem feci, & ipsos adversarios hor-
 „tatus sum, ut per otium, dum id in-
 „ter armorum strepitum non licet, de
 „me ad catholicam religionem infor-
 „mando ratio ineatur, eaque de re col-
 „loquium instituatur: attamen illi se
 „ab hoc consilio non abhorreere tanti-
 „per demonstrabant, eo duntaxat sine,
 „ut Hispanus pacis suspicione injecta eos
 „ad conditiones, quas vellent, pertra-
 „heret: verum, quam illi nihil minus
 „optent, ac summopere id reformident,
 „ex eo apparet, quod nunc scripto eam
 „rem pro desperata haberi velint, quam
 „ne quidem unquam in medium propo-
 „suerunt: insuper tunc, dum Pisani
 „Marchionem virum natalibus, ac pie-
 „tate, necnon fide insignem meo per-
 „missu Romam ablegatum intellexerunt,
 „iidem Legatum, qui isti se opponeret,
 „illinc mittebant, ut communicatis cum
 „Hispana factione consiliis, ne ille a Pon-
 „tifice admitteretur, omni ratione im-
 „pediret, qua fiducia, quoties sermo
 „de mea ad Catholicam religionem con-
 „versione incidit, speciose palam jacta-
 „bant, se in Pontificis potestate futuros,
 „& quicquid ille ea in re statuerit, ei
 „obtemperaturos: ast non despero, quin
 „Pon-

„Pontifex astus illorum, qua prudentia
 „est, pervideat, & in re omni pro sua
 „æquitate, quod rectum erit, decernat:
 „interim frustra sperant illi, quod his
 „artibus, ac fraudibus Catholici a pa-
 „triæ propugnatione abducantur, & cum
 „ipsis impietatis societatem contrahant,
 „cum consultius utique foret, si ad Ca-
 „tholicorum, & vere Francorum, qui
 „regiæ causæ student, partes transeant,
 „& se tanquam membra reliquo corpori
 „adjungant, nam exceptis Lotharingiæ
 „familia, qui exteri sunt, Principibus
 „regii sanguinis Principes, Præsules,
 „Proceres, Magistratus, omnesque fere
 „Nobiles, qui universum regni Gallici
 „corpus constituunt, a perduellium
 „caussa alieni mihi adhærent, quippe
 „qui non propriam, sed regni causam
 „defendunt; unde illi, qui nunc id a-
 „gunt, ut cineribus patriæ ipsos in-
 „cendii auctores Hispanos late Domi-
 „nos imponant, in memoriam revocent,
 „quantis animis, & illorum Majores,
 „& ipsi pro finibus certarint contra eos,
 „quibus nunc ad regnum invadendum
 „per summum scelus, ac dedecus auro
 „scilicet externo corrupti portam ape-
 „riunt: sed eo minus id mirum vide-
 „tur, cum etiam nullo recentis parri-
 „cidii in Regem patrati sensu tangan-
 „tur, imo etiam Numini tam immane
 „faci-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

„facinus, quod perpetuam ignominie
„notam genti Gallicæ inurit, adscri-
„bant: neque vero ad tanti criminis
„purgationem fatis est, quod facti con-
„scientiam ad se pertinere negant, nam
„si hoc hominibus persuadere voluis-
„sent. ob id publice lætari, Deo gra-
„tias agere, percussoris denique nomen
„honorifica memoria prosequi non oportu-
„isset, quin potius ob commiseratio-
„nem patriæ, quæ illos aluit, educa-
„vit, benigne fovit, ac complexa est,
„necnon ex tenuibus, & obscuris in al-
„tissimum dignitatis fastigium evexit,
„cum Primariis æquavit, opibusque
„cumulavit, commoveri, & illacrimari,
„atque a societate cum feris gentibus,
„quæ tam lingua, quam moribus a can-
„dore Gallico omnino alienæ sunt, ab-
„horrere debuissent.

„His rationibus si illi flecti non pos-
„sunt, eadem ad id saltem valebunt,
„ut contra perditorum hominum opi-
„nionem illi, qui regiam causam huc-
„usque tutati sunt, ad eam defenden-
„dam vehementius, quam antea accen-
„dantur: ego certe illis ea in re exem-
„plo nostro præibo, nec labori, non va-
„letudini, nec vitæ ipsi parcam, prout
„nota est nostra erga Catholicos, & sa-
„crum ordinem æquitas, ac moderatio,
„dum ea, quæ sub regni auspiciis pro-
„mitti,

„misi, religiosissime servavi: quod licet **Sæcul. XVI.**
 „hucusque summa fide præstiti, ad **A.C.1593.**
 „omnem tamen scrupulum ex animis
 „evellendum ea, quæ pollicitus sum,
 „ad ultimum vitæ spiritum constantif-
 „sime servaturum ex animi sententia de-
 „nuo juro, idque coram Deo Optimo
 „Maximo testor, ac nunc confirmo,
 „unice optans, ut ea, quæ in me de-
 „siderantur, recto ordine, & conve-
 „nienti ratione impleantur: porro id-
 „ipsum ejusdem Dei gratia aspirante
 „fore spondeo, ac in me recipio. Inte-
 „rim de consilii sententia, cui Princi-
 „pes, Præfules, Proceres, Magistra-
 „tus, alique summa prudentia præditi
 „viri interfuerunt, edico, quod Madua-
 „nus, dum regni Gallici comitia scripto
 „publicato indicere ausus est, contra
 „fas, rempublicam, ac regni ipsius le-
 „ges fecerit, proinde quicquid in iis
 „dictum, statutum, ac decretum fue-
 „rit, irritum, nulliusque momenti ha-
 „bendum esse declaro., His ita exposi-
 „tis Rex in eodem edicto, quod in Se-
 „natu recitatum, & in acta publica Cæ-
 „saroduni Turonum relatam est, om-
 „nibus, cujuscunque conditionis fo-
 „rent, civitatibus, atque universitati-
 „bus interdixit, ne ad illa comitia pro-
 „ficisci, mittere delegatos, consilia fo-
 „ciare, aut aliquid opis eo tendentibus,
 „aut

Sæcul XVI. aut redeuntibus impertiri audeant, & **A.C. 1593.** si quis secus fecerit, non minus, ac si ipse comitorum auctor fuisset, lætæ Majestatis reus habeatur. Concessum tamen est quindecim dierum spatium a publicatione edicti, civitatibus, Collegiis, privatisque viris, intra quod, si ad saniora consilia redeant, ejusque rei testimonium apud Senatum, cujus jurisdictioni subsunt, interposuerint, poenitentiae, & impunitati locus sit.

§. XXXVIII.

Ordinum comitia Parisiis a Fœderatis celebrari cœpta.

His Henrici IV. literis Fœderati nequaquam terrebantur, quominus indicta Ordinum comitia celebrarent, quibus etiam die vigesima sexta Januarii in ampliori Luparensis Palatii aula datum erat initium, præcedenti tamen die Dominico solemnis habebatur supplicatio, cui omnes Deputati intererant, atque ipsemet Maduanus Dux, cujus latera Haquevillus, & Nullius Præfides stipabant, in illa præsens erat, die autem vigesima prima ejusdem Mensis Fœderati numero centum in Ecclesia Beatæ Virginis sacra Synaxi muniti Genebrardum Acquensem Archiepiscopum hujus sacri fœderis studiosissimum
ibi

*Davil. l. 13.
Mem. de la
Lig. t. 5.
Mem. de
la Lig. t. 5.
Mem. de
l'Etoil. t. 2.
pag. 101.*

perorantem excipiebant. Postea co-
 initia fuere inchoata, præmisso Ma-
 duani Ducis sermone, quamvis adeo
 submissa voce peroraret, ut ex congre-
 gatis vix tertia pars illum percipere pos-
 set: insuper etiam declamando subinde
 faciei colorem mutabat, imo referunt
 nonnulli, hunc sermonem a Petro Espi-
 natio Lugdunensi Archiepiscopo fuisse
 compositum.

Sæcul.XVI.
A.C.1593.

§. XXXIX.

*Maduani Ducis Oratio ad comitiorum
 initium habita.*

Verum ut res se habuerit, id om-
 nino certum constat, quod hic Ora-
 tor in suo sermone præsentibus hortatus
 non raro repetierit monitum, ut congre-
 gati nil aliud præoculis habeant, nisi Re-
 ligionis, Regnique utilitatem: postea ve-
 ro suum sermonem absolvit hæc adden-
 do: „ Ut malis Franciam per tot annos
 „ jamjam affligentibus remedium oppo-
 „ natur, simulque Religionis conserva-
 „ tioni satis firmiter caveatur, nihil ma-
 „ gis consultum videtur, nisi quod ejus-
 „ modi Rex eligatur, qui primo in Ec-
 „ clesie Catholice, Apostolice, & Ro-
 „ mane fide constans, firmusque sit,
 „ eamque propriæ suæ vitæ præferat,
 „ nec minus idem etiam viribus adeo
 „ potens sit, ut non modo seditiosis, ac
 „ rebel-

Davit. l. c.

Handwritten notes in a later hand, including "1593" and other illegible characters.

Sæcul. XVI
A. C. 1593

„rebellibus imperia dare, sed etiam
„tam Regni, quam sacræ Sedis hostes
„invicta animi fortitudine debellare, ac
„gloriosas de illis victorias reportare
„valeat. „ Præscriptis binis hisce do-
tibus postea Orator Deputatis expone-
bat, quod nequaquam ad moderanda
populi tributa, aut ad excogitanda alie-
num æs, quo Regnum gravatur, sol-
vendi media, sed ad Regem eligendum,
Caputque pro toto populo, qui in am-
plissimo totius Christianæ Reipublicæ
Regno est, nominandum fuissent con-
gregati, hinc nullis privati studii ra-
tionibus sese abripi sinerent, sed junctis
viribus, ac consiliis ea sancte, ac de-
center decernerent, quæ ad commu-
nem omnium salutem, & ad præsen-
tem rerum vicissitudinem magis con-
grua videbuntur.

§. XL.

*Alia oratio a Pelleveo Cardinale Rhe-
mensi Archiepiscopo pro-
nuntiata.*

*Satyr. Me-
nio. t. 1.
pag 55.
Maimb. hist.
de la Lig.
t. 4. p 463.
Thu. l. 105.*

Absoluto hoc sermone Pelleveus Car-
dinalis Rhemensis Archiepiscopus,
qui sua auctoritate Hispanos firmatu-
rus studiose Roma venerat, orationem
pariter satis prolixam, ac tædio plenam
habuit, in qua existimatum Maduani
Ducis Zelum, ejusque magnanimitatem
pluri-

pluribus deprædicans ad sermonis sui Sæcul. XVI.
A.C. 1593.
calcem congregatos hortabatur, ut ejus-
modi Regem eligerent, quem præfens
rerum conditio exigeret, quive sacrae
Sedi sincere addictus, capitalis vero
hæreticæ pravitatis inimicus esset, cum
in hac temporis vicissitudine nil magis
necessarium foret, nisi ut se hæretico-
rum veneno, plusquam cuicumque alteri
malo, opponeret. Hunc sermonem
exceperat oratio Senecæi Baronis, qui
nomine Nobilium, quorum tamen non
adeo frequens erat numerus, perora-
bat, ac sermonem magis succinctum,
magisque tempori accommodum pro-
ferebat. Denique Plebæi Ordinis no-
mine Laurentius in Provinciæ Senatu
regius Advocatus orationem habebat.

§. XLI.

*Altera Sessio, propositionesque ibidem
a Legato factæ.*

Equidem Legatus Cardinalis huic Davila l. c.
Sessioni utpote alienigena non in-
tererat, altera tamen die in Sessione
secunda admitti petens, mox sede oc-
cupata præprimis postulabat, ut omnes
interposito solemni Sacramento sponde-
rent, se nec unquam cum Henrico Bor-
bonio in gratiam redituros, nec illum,
etiamsi erroribus suis ejuratis sese Ca-
tholicum, profiteretur, tanquam Regem
suum

Sæcul. XVI.
A.C.1593.

suum agnituros. Verum huic postu-
lato sese opposuit Maduanus Dux, cum
id suis consiliis oppido adversum cense-
ret, ubi ceteri quoque Deputati in ean-
dem abiire sententiam: cum vero Le-
gatus hoc iuramentum præstari urgeret,
Lugdunensis Archiepiscopus loquen-
tem interpellans hæc subjunxit: „Cum-
„nes Ordines Religione sunt Catholici,
„sacræque Sedis Primatum profitentur,
„proin nec adeo sunt temerarii, ut
„summo Pontifici veluti manus ligare
„audeant, nec adeo sunt præsumptuosi,
„ut ejus iudicium prævertere tentent,
„quod tamen facerent, si Navarræ Re-
„gem reconciliationis cum Ecclesia in-
„capacem declararent, sententiam in
„ea re ferentes, quæ tamen fori pro-
„fani limites excedit, & unice ad ju-
„risdictionem ecclesiasticam pertinet,
„proin omnibus firmum, fixumque sit,
„quod hoc jusjurandum permittere
„nolint, ne propriam lædant conscien-
„tiam, neve sacræ Sedis, summique
„Pontificis dignitatem offendant., Ad
hanc responsionem tacente Legato haud
amplius de hoc jurejurando sermo re-
dibat.

§. XLIII.

§. XLII.

Sæcul. XVI.
A.C.1593.

Catholicorum Regi addictorum declaratio ad comitia per Tubicinem delata.

Altera die vigesima octava ejusdem Mensis, seu tertiæ Sessionis die ante Urbis portas Regius tubicen Carnuto adventans comparuit, qui ad civitatem admitti petebat, ut Belino Comiti Parisinæ Urbis Governatori quemdam literarum fasciculum sibi commissum tradere posset, insuper palam asseruit, quod de Principum, & Præsulum regiæ parti addictorum declaratione apud Ordinum Conventum directè agere jussus fuisset. Re intellecta hic ad Governatorem deductus eidem literas consignabat, ac studiose ea, quæ in illis continebantur, in vulgus spargebat: at Belinus Comes hunc fasciculum aperire recusans illum ad Maduanum Ducem detulit, hic autem convocatis fœderatorum Primoribus præfatum scriptum exhibuit, quod etiam illis præsentibus recitatum est.

*Mem. de la
Lig. t. 4.
Davil. l. 6.*

§. XLIII.

Regiorum epistola a Sorbonico Collegio jussu Legati damnata.

Postea inter eos deliberatum, an huic scripto sit respondendum, ubi lectis

*Thu. l. 105.
Caillot t. 2.
Davil. l. 13.*

Sæcul. XVI. lectis ceterorum suffragiis Placentinus
A.C. 1593. Cardinalis Papæ Legatus commotiori
 voce hoc scriptum primo aspectu per-
 niciosum, atque impietatis, ac secta-
 riæ pravitatis plenum pronuntiavit, ut
 vero evidentius de eo constaret, quan-
 doquidem ad fidem pertineret, ideo
 negotium dedit delectis Sorbonæ
 Theologis, qui hoc scriptum examina-
 rent, & de illo censuram suam ferrent.
 Id actum conventu in Sorbonica Schola
 celebrato, ex cujus sententia adductis
 in medium multis argumentis, exem-
 plis, Scripturæ, ac Patrum testimo-
 niis, pronuntiarunt, denuntiationem
 illam absurdam, hæreticam, schismati-
 cam, impietatis, & contra Ecclesiam
 rebellionis plenam esse, eoquod asse-
 ret, hæretico relapso, damnato, &
 extra Ecclesiæ communionem posito,
 ad Regnum Christianissimum jus com-
 petere, eum a Deo datum, eique obe-
 dientiam jure naturali, ac legitime de-
 beri, itaque propter hanc Doctorum
 declarationem ad aliquot dies delibe-
 rationes fuerunt suspensæ.

§. XLIV.

*Rationes illorum, qui ad Regiorum
 epistolam responsum dari
 petebant.*

Habi-

Habitis rursus desuper consultationi-
 bus denuo examinatum, an ad scri-
 ptum, quod Regis affeclæ ediderunt,
 esset respondendum, ubi illi, qui affir-
 mantium parti favebant, hæc pro-
 ponebant: „indignum est, ut eos, qui
 „ejusdem sanguinis, ac Religionis no-
 „biscum sunt, nequidem responso di-
 „gnos judicemus, cum tamen hi forte
 „istam occasionem unice ideo quærant,
 „ut suam culpam agnoscentes suæ con-
 „scientiæ consulere, ac foederatorum
 „parti honesto transitu adhærere va-
 „leant: tum vero Navarræ Regis po-
 „tentia tantopere imminuetur, ut fa-
 „cili negotio coerceri valeat: de cetero
 „omnia illa media, quæ ad pacem con-
 „ferre possunt, avide amplectenda sunt;
 „hic enim præcipuus finis est, quem
 „omnes fideles Galli sibi præfigunt,
 „atque ex tranquillitatis publicæ
 „studio desiderant: si ergo pax unani-
 „mi omnium consensu restitui valet,
 „quid juvat sese assiduis implicare tu-
 „multibus, novisque calamitatibus ex-
 „ponere? unice etiam ex concordia stu-
 „dio Maduanus Dux sua declaratione
 „adversæ factionis Catholicos ad hæc
 „comitia, & colloquium cum ipso ha-
 „bendum invitabat, palam professus,
 „quod tunc, si id renuerent, omnia
 „mala, quæ exinde eventura essent, in
 „eo-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

Thy. l. 105.
 Davil. l. 6.

Hist. Eccles. Tom. I. l.

U

„eo-

sæcul. XVI.

A.C. 1593

„eorum pertinaciam essent rejicienda: si
 „ergo hæc Maduani declaratio apud cu-
 „juscunque partis Catholicos quicquam
 „valuit, conferendi copia eis denegari
 „haud potest, quin calamitatum impen-
 „dentium invidia in renuentes vertatur;
 „præterea parum refert, an cum Regis
 „consensu nobiscum agant; res enim
 „unico nutu decidi haud valent: adver-
 „sarii autem nostri, cum adhuc Regi
 „adhærent, ejusmodi verbis mentem
 „suam exprimere coguntur, quamprimum
 „autem rationibus devicti sensim
 „ad nostras partes erunt pertracti, forte
 „mentem suam, & consilia mutabunt:
 „haud enim ignotum est, quod Regiæ
 „stirpis Principes vacillare incipiant, ac
 „Catholici jam ægre ferant, Regem
 „violata promissi fide veram Religionem
 „amplexum nondum esse: horum igitur
 „indignatio in rem nostram vertenda
 „est, eisque, ut saniora arripiant consi-
 „lia, via est aperienda, qua agendi
 „ratione omnia membra in unum Cor-
 „pus pro patriæ salute coadunari pot-
 „erunt.

§. XLV.

*Legatus consentire ab Archiepiscopo
 Lugdunensi rogatus.*

Aul. l. c.

Huic quidem sententiæ acriter oblecta-
 batur Legatus, quapropter Lugdu-
 nensis

Sæcul. XVI.
A. C. 1593.

„nensis Archiepiscopus illum visum ve-
 „niens hæc eidem exponebat: „rejecta
 „eorum, qui Regi addicti sunt, pro-
 „positione graves inde tumultus timendi
 „sunt, cum tam Nobiles, quam Plebæi
 „belli diurnitatem, malaque exinde
 „pullulantia pertæsi abs dubio Navarræ
 „Regis partibus accessuri essent, ut sese
 „ab hisce miseriis expediant: ex ad-
 „verso autem colloquium cum eis ha-
 „bendum certe nullum sinistrum effe-
 „ctum proferre poterit, eo quod ad il-
 „lud non nisi probatæ fidei Viri, qui Re-
 „ligionis causam nunquam negligenter,
 „admittendi forent, proin si Catholici
 „Regiæ parti addicti sese fœderatorum
 „societati jungerent, sane hi gloriosum
 „reportabunt triumphum: si vero Regii
 „sese a fœderatis alienos exhibere vo-
 „luerint, tentatis omnibus viis, oppor-
 „tuna ad dissolvendum hoc colloquium
 „media excogitare, satis expeditum
 „erit: si vero vestra Eminentia, tan-
 „quam Papæ Legatus sese hujus con-
 „cordiæ studio opponere voluerit, &
 „Catholicorum propositionem rejici pro-
 „curaverit, per hanc repugnantiam
 „abs dubio intempestivæ arrogantiae
 „calumniam incurret, necnon de ni-
 „mia cum Hispanis unione suspectam
 „se reddet, quod sane ipsi etiam sum-
 „mo Pontifici ingratum accidet: aliun-
 „de

U 2

„de

Sæcul. XVI
A.C 1593.

„de vero Mercatorum Præfectus mihi
„imperterrito animo exponebat, quod
„Parisienses, cum suas miseras tandem
„hujus colloquii ope, ac prospero successu
„finiri sperarent, repulsa facta seditio-
„nem movere parati existant, ac Pa-
„risiensis Senatus ejusdem quoque men-
„tis, & sententiæ cum illis sit., Le-
gatus omnibus hisce rationibus expug-
natus colloquium institui consensit, dum-
modo Ordines pollicerentur, quod nullo
modo cum ipso Navarro Rege ageretur,
sed unice cum Catholicis ipsi addictis
pro Religionis, & Regni salute collo-
quium haberetur.

§. XLVI.

*Ordinum responsum ad Regiæ partis
scriptum.*

Avil. 63
Thuan. l. 6.

Ergo Ordinum responsio ad regionum
clientum epistolam in ordinem re-
digitur, ac die quarta transmittitur in-
scripta ad Principes, Prælatos, Pro-
ceres, & Nobiles Catholicos, qui Na-
varræ Regis partibus adhærent. Erat
hæc epistola data nomine Maduani Du-
cis, qui se supremum Regni Principum,
Præsulum, Procerum, & Deputatorum
Parisiis congregatorum Vicarium ap-
pellitabat. Ceterum ibidem haud ze-
quæ afferbantur rationes, quibus hi
suam vindicabant repugnantiam, qua
Henri-

Sæcul. XVI.
A. C. 1593.

Henricum tanquam Regem agnoscere recusarent, tandem vero petitum colloquium esse indulgendum decernunt, moxque Tubicinem ablegabant, qui hanc responsionem deferret Carnutum, ubi in Senatu hoc responsum recitabatur, absente autem Rege prompta dari responsio haud poterat: Borbonio tamen Cardinali injunctum, ut datis ad Henricum literis ipsius consensum exquireret: ideo cum Rex annueret, Borbonius die vigesima nona Martii ad Ordines perscribens præfatum colloquium Surrennæ, oppido una leuca Parisiis distito, ad diem decimam quintam mensis sequentis indixit, quem in finem consentientibus etiam Ordinibus nominabantur illi, qui huic colloquio interessent, ac præcipue Espinacus Lugdunensis Archiepiscopus, Pericardius Abrincensis Antistes, Godefredus Billius sancti Vincentii Laudensis Abbas, Villarius maris Præfectus, Belinus Comes, Joannes Ludovicus Pontallerius de Talema, Montignius, & Montolinus, Magister, & Joanninus Præfides, Stephanus Bernard Divionensis Curia Advocatus, necnon Honoratus Laurentius provincialis Senatus Consiliarius: Regis vero nomine seligebantur Bituricensis Archiepiscopus, Chavignius, & Belleverius, Schombergius Comes,

U 3

Thua-

Sæcul. XVI. Thuanus Præses, Nicolaus Rambouilletus, Pontcarreus, & Revolius, qui
A.C. 1593. Navarræ Regi a secretis epistolis erat.

§. XLVII.

Deputati ad Surrennense colloquium delati.

*Act. de la
 conf. de
 Surren. Ca-
 yet. t. 2.
 Mem. de
 l'Etoil. t. 2.
 pag. 112.*

Regis Deputati præ ceteris primi eunte Mense Aprili ad Surrennensem Pagum conveniunt, foederatorum autem Oratores prius rei divinæ interesse, ac Legati benedictionem, & mandata excipere volebant, postea & ipsi circa secundam meridiei horam die vigesima octava ejusdem Mensis advenere: altera autem die prima habebatur Sessio, ubi a Regiis petebatur, ut ipsi sua tantum nomina sine titulis, ne præjudicium alterutri ea re fieret, apponere contenti essent. His peractis mutuo sese hortabantur, ut sepositis omnibus privatæ utilitatis rationibus sincero animo publicæ salutis interderent; quibus factis Deputati concessas sibi agendi facultates, literasque exhibebant: insuper etiam utrinque necessariæ expediebantur publicæ securitatis diplomata, simulque statuebatur, ut intra fines Surrennensi Pago vicinos ab armis cessaretur, quatenus Deputati, eorumque socii libere absque omni molestiæ periculo accedere, & venire possent;

sent; quamvis enim Regii Surrennæ noctu permanissent, foederatorum tamen potissimi sole ad occasum inclinante Parisios rediere.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593

§. XLVIII.

Bituricensis Archiepiscopi Oratio pro Navarro in Regem nominando.

Postea Bituricensis Archiepiscopus Sessioni initium dabat prolixa admodum oratione, in qua pluribus exemplis, ac testimoniis foederatos persuasos reddere nitebatur, quod tunc, si Henricum Borbonium tanquam Regem suum agnoscere detrectarent, non modo Regnum exteris, sed etiam crudelissimis suis hostibus in prædam darent, hoc tamen nefas committere abhorrent, cum iisdem, etsi Regi hæretico subjiciantur, libere, & salva conscientia suæ religione vivere, ac in sua fide immote perseverare integrum foret: cum autem hæc propositio Lugdunensi Archiepiscopo, aliisque isti addictis vehementer displiceret, suamque indignationem palam exerceret, hinc Bituricensis Archiepiscopus eidem hæc respondit: „cum foederati non alium Regem admittere velint, nisi eum, qui „vere Catholicus sit, & publice pro „Rege Catholico habeatur, hinc unice „reliquum est, ut eodem Christianæ cha-

Thu. l. 106
Avil. l. 6.

Sæcul. XVI. „ritatis, ac necessitudinis patriæ vin-
A.C. 1593. „culo invicem devincti conjunctis votis,
 „ac precibus Regem Navarrum exhor-
 „tentur, quatenus rectam doctrinam
 „capessat, & antiquos Calvini errores
 „deferat, ut ad gremium Catholice
 „Ecclesiæ aggregatus ceteris, qui ab
 „ea deerrarunt, eandem redeundi vo-
 „luntatem ingerat: hoc si consilium
 „Navarrus sequi voluerit, prout cur-
 „ctos ardentem ad id exhortor, tunc brevi
 „non sine vestro solatio omnia dissidia
 „feliciter sublata, omniumque animos
 „concordiæ vinculo constrictos cernetis:
 „si vero e contrario Henricus Religio-
 „nem Catholicam amplecti renuerit,
 „tunc eidem adhærentes legitimam ab
 „eo deficiendi causam, suamque ope-
 „ram illis, qui eidem adversantur, di-
 „candi obtentum habebunt, ut postea
 „cunctis viribus alium regis Stirpis
 „Principem veræ Religioni addictum
 „eligere valeant.,,

§. XLIX.

*Lugdunensis Archiepiscopi responsum,
 ac Bituricensis Præsulis
 oppositio.*

Anil. l. c.

Ad hæc ita reposuit Lugdunensis Ar-
 chiepiscopus: „Hi, qui Regi Na-
 „varro adhærent, nunquam illum ad
 „ejurandam suam sectam admonere au-
 „debunt,

„debunt, eoquod ipsis jam sæpius te-
 „status fuisset, quod frustra ad id sol-
 „licitaretur, cum nulli admonitioni ce-
 „dere decrevisset; quinimo notum est,
 „quod Rex hucusque semper creduli-
 „tati suorum amicorum illuserit, cum
 „illis nudis duntaxat verbis promissif-
 „set, quod Catholicæ fidei præceptis
 „imbuï velit: cum autem pia horum
 „monita adeo flocci habuerit, multo
 „minus aures præbebit illis, qui suo-
 „rum inimicorum nomine eandem rem
 „ei proponunt: insuper, ut paucis men-
 „tem meam declarem, cum sacra Se-
 „des illum tanquam hæreticum, rela-
 „psum, ac centuris irretitum declara-
 „rit, omne cum illo commercium vi-
 „tandum, nullaque eidem facienda est
 „propositio: „ Bituricensis Archiepisco-
 „pus ad hæc respondit: „Nunc Rex men-
 „tem suam mutasse videtur; antea e-
 „nim consiliis, quæ ei suggerebantur,
 „simul vis, ac minæ immiscebantur, ac
 „propterea eorum monita utpote Regiæ
 „Majestatis indigna, suæque famæ per-
 „niciosa excipere recusabat: nunc vero
 „consilia sibi propinata benevolo exci-
 „pit animo, fatisque aperte testatus est,
 „quod in Ecclesiæ, ac Pontificis gra-
 „tiam redire paratus sit: promissi equi-
 „dem sui fidem violavit, assiduis tamen
 „occupationibus, necnon continuo belli
 U 4 „tumul-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

Sæc. XVI.
A.C. 1593.

„tumultu ab illius executione præpe-
„diebatur: aliunde vero æquum est, ut
„ejusmodi conversio decenter, honorifi-
„ce, & absque metu fiat, præcipue
„cum magna affulgeat spes, quod Hen-
„ricus brevi Catholicus audiat. Ad
hæc nonnulli reposuere: „ gratum no-
„bis foret, si Rex hæresiu suam ejura-
„ret, dummodo id non faciat ex huma-
„nis rationibus, ac politicæ prudentiæ
„suasionibus, quibus nil nisi rudiores
„decipere, omnemque de ipso conce-
„ptam spem deludere possent.

§. L.

*Ordines ad eligendum Hispaniæ In-
fantem a Legato sollicitati.*

Avil. l. 13.

Has inter, variasque ejusmodi con-
tentiones re infecta Sessio quarta
exacta est, Hispani autem opportune
in rem suam vertebant hæc animo-
rum dissensiones, firmumque fœdera-
torum consilium, quo non alium Regem
eligere decreverant, nisi eum, qui sin-
cero animo Catholicam fidem profite-
retur: eapropter Hispaniæ Infantem
in Regem proponere statuebant, hanc-
que in rem Cardinalis Legatus publi-
cas preces, solemnesque supplicationes
eo fine decernebat, ut benignum Nu-
men media ad legitimam electionem
idonea, ac congrua pro communi Chri-
stianæ

stianæ Reipublicæ salute inspirare ve- Sæcul. XVI.
A.C. 1593.
lit: postea præter Hispaniæ Ministros
congregabat Maduanum, Guisium, Au-
malium, Ellebovium Ducem, necnon
Chalignium Comitem: insuper accesse-
rant pro Lotharingio Duce Bassonpie-
rus, pro Sabaudia Duce Patrius, pro
Duce Mercordio Laurentius Tornabo-
nus, præter Comitem Belinum Pari-
siensem Governatorem: Ordines autem
pariter sex Deputatos eo fine electos,
ut cum Hispaniæ Ministris conferrent,
decernebant, & quidem nomine Ordinis
Ecclesiastici aderat Archiepiscopus
Lugdunensis, & Sylvanedensis Episco-
pus, pro Nobilium Ordine Chatræus,
& Montolinus, denique pro Ordine
plebejo Mercatorum Parisiensium Præ-
fectus, & Stephanus Bernard: in hoc
autem congressu, qui veluti totius fœ-
deris anima erat, Feriæ Dux Hispaniæ
Legatus in Surrennianum collo-
quium vehementer insurgens Hispaniæ
Regis Filiam, seu Infantem amplissimis
deprædicabat elogiis, eamque in Re-
gem proponere audebat.

§. LI.

*Acerrimum Sylvanedensis Episcopi
responsum ad Hispaniæ
Oratorem.*

Per

Sæcul. XVI.
A C. 1593.

*Avil. l. c.
Mem. de
l'Etoil. t. 2.
pag. 116.*

Percepta hac propositione Guilielmus
Rosa Sylvanectensis Episcopus ex
fœderatis ferocior exurgens non sine
ingenti animi contentione hæc expo-
nebat: „Non ergo temerarium erat ju-
dicium Politicorum, qui jam dudum
pronuntiabant, quod ad tegendam
Procerum ambitionem religio non nisi
merus obtentus, ac prætextus fuerit,
equidem hanc illorum opinionem ego,
alique Concionatores ex suggestu ad
populum dicentes tanquam commen-
tum a sectariis confictum explodimus:
nunc vero magno cum animi mei do-
lore contigit, ut ex ipso Ministrorum
Hispanorum ore percipere cogar, ve-
rissimum esse, quod Concionatores ab
Hispanis seducti alios etiam decepe-
rint, dum mendacii defensionem in
se susceperunt: ideo illos non minus,
ac Navarræ Regis fautores pro poli-
ticis habere compellor, eos tamen
rogo, ut pro proprii sui honoris studio,
ac sanctæ unionis decore ab ejusmodi
proposito desistere velint, eo quod Re-
gnum Franciæ jam per mille ducen-
tos annos Reges masculos felicissime
imperantes ex Legis Salicæ præscri-
pto habuisset; si nunc violata lege Sa-
lica per electionem foemina ad regnum
vocetur, periculum suberit, ne illa
per matrimonium ad externos Princi-
pes

„pes sceptrum transferat, & ex eo tem-
 „poris tractu regni tanto tempore per
 „eam legem servati dissipatio sequatur: „
 Enimvero hoc responsum cujusdam ho-
 minis, qui præ ceteris fœderi addictis-
 simus erat, non parum turbabat Lega-
 tum, & Hispaniæ Ministros; unde quam-
 vis hi rem denuo urgerent, paucis ta-
 men id, quod petebant, persuasum red-
 dere poterant.

Interea Surrennæ consultationes
 semper fuerunt continuatæ, tandemque
 ibi utrinque conventum, ut ad Henri-
 cum Borbonium, qui tum Meduntæ
 agebat, quidam deputarentur, qui eun-
 dem ad amplectendam Religionem Ca-
 tholicam sollicitarent. Ergo præ cete-
 ris seliguntur Schombergius, & Revo-
 lius, quos Rex perbenigne excipiens,
 & non sine prompti animi testificatio-
 nibus eorum propositiones percipiens
 pollicebatur, quod Catholicæ fidei præ-
 cepta edoceri cuperet, hinc ad diem
 decimam quintam Julii conventum in-
 dixit, prius tamen hoc suum animi pro-
 positum fœderatorum Deputatis mani-
 festari voluit, eisdem exponens, quod
 jamjam Episcoporum, ac Theologorum
 conventum decrevisset, ut ibidem ab
 eis circa sua Religionis dubia instrui
 posset, cum aliunde jam animo Ca-
 tholicus esset.

His

Sæcul. XVI.

A C 1593.

Sæcul. XVI. His verbis Rex die decima sexta
A.C. 1593. Maji Meduntæ mentem suam aperiebat, altera autem die Schombergius, & Revolius Surrennam, quo fœderatorum Delegati etiam convenerant, reversi sunt, ac præprimis de præclara Regis voluntate Bituricensem Archiepiscopum certiore reddidere. Faustum quoque hoc nuntium hic Præsul in septima Sessione Congregatis significabat, hæc fœderatorum Deputatis annuntians: „Tandem Deo vota nostra „exaudiente cuncta, quæ desideravimus, adimpleta cernimus, consultumque est Religioni simul, & Regno per „Regis nostri conversionem, quam nobis pollicitus est: imo eadem omnino „certa videtur; quippe hic Princeps „hæresin suam abjurare paratus jamjam „Præfules, ac Doctores convocavit, ut „Catholicæ fidei præceptis imbui valeat: ejusmodi autem doctrinæ proprietas omnino præmittenda venit tam „heroicæ mutationi, quam omnes probo „utriusque partis Catholici cum tanto „ardore exoptarunt, ut tandem unanimes „omnes in firma, & constanti pace denovo uniantur: ad tantum vero opus „cum omnium satisfactione perficiendum, Rex cunctis concedit, ut de „conditionibus, quæ singulorum salutem respiciunt, agere valeant, omnibus-

„busque Rex, ut eis sinistra suspican-
 „di ansam præripiat, fidem facit,
 „quod nihil executioni dandum sit, nisi
 „prius ipse sese Catholicum opere exhi-
 „buerit, ac reipsa cum Ecclesia in gra-
 „tiam redierit.,,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

§. LI.

*Archiepiscopi Lugdunensis responsum
 ad hoc Nuntium.*

Hac inopinata declaratione foederati
 haud parum perculsi hærebant, *Thu. l. 106.*
 præcipue vero Lugdunensis Archiepi- *Avil. l. 14.*
 scopus, qui confestim respondit: „fatis
 „mihi persuasum habeo, quod Socii
 „mei circa Regis conversionem ejusdem
 „mecum sint sententiæ, omnesque me-
 „cum summopere desuper lætentur,
 „Deoque grates referant, quod Navar-
 „rus tam laudandum ad sacra Majorum
 „redeundi consilium cepisset, si tan-
 „tum id, quod molitur, ex animo, &
 „citra fucum, ac dissimulationem facit,
 „propterea autem una omnes Deum
 „precantur. Postea Archiepiscopus
 sufficiens cum ceteris Deputatis confe-
 rendi spatium sibi indulgeri postulans
 evolutis aliquot horis reversus est, hæc
 exponens: „de hujus conversionis nun-
 „tio gaudemus quidem omnes, si ta-
 „men ea reipsa fiat, tunc nostrum non
 „est declarare, an illa fuerit vera, &
 „sincera;

Sæcul. XVI.

A.C. 1593.

„sincera; ejusmodi enim declaratio ad
 „sacram Sedem, & summum Pontifi-
 „cem pertinet: quominus autem de
 „hujus conversionis sinceritate bonam
 „spem concipiamus, videntur obstare
 „diplomata in Protestantium gratiam
 „regio sigillo nuper consignata, in qui-
 „bus centies viginti aureorum millia
 „pro Ministrorum stipendiis, & Prote-
 „stantium collegiorum expensis assigna-
 „bat, ea vero liberalitas cum promissis
 „pugnare, neque facta verbis respon-
 „dere arguit, quinimo Rex stabilitis
 „hisce stipendiis hæresin in Regno per-
 „petua firmitate corroborasse videtur:
 Ad hæc mox respondit Bituricensis Ar-
 chiepiscopus: „equidem haud diffite-
 „mur, quod ea res in Senatu fuerit pro-
 „posita: verum Rex sese huic consilio
 „cum pluribus aliis opposuit, insu-
 „per etiam hoc diploma Regium non-
 „dum subscriptum, nec Sigillo muni-
 „tum fuit: de cetero autem fœde-
 „ratis omnino integrum est, ut hujus
 „concessionis executionem præpediant,
 „si nimirum prompta reunionem Re-
 „ligioni adeo funestam prohibeant.

§. LIII.

*Tres articuli fœderatorum Deputatis
 propositi.*

Idem

Idem Bituricensis Archiepiscopus Re-
gis nomine Fœderatorum deputatis
scriptum quoddam proponebat, tres
complectens articulos, quorum primo
Rex hæresin suam abjurare, & fidem
Catholicam amplecti promittebat. Alter
agebat de excogitandis conservandæ
religionis Catholicæ, necnon firmandæ
pacis mediis. Tertio denique peteba-
tur, ut nunc, quamdiu grave hoc ne-
gotium ageretur, per universum Re-
gnum ab armis cessaretur. Hoc scri-
ptum mox ad Maduanum Ducem dela-
tum in Ordinum conventu discuteba-
tur, ubi Dux huic scripto cum summa
moderatione respondendum voluit;
quam in rem statutum, ut relicto priori
conventus loco utriusque partis Depu-
tati Roquettam extra portam sancti An-
tonii convenirent.

§. LIV.

*Responsum in Roquettano conventu
ad Regis declarationem datum.*

Deputatis præstituta die Roquettam
convenientibus Lugdunensis Ar-
chiepiscopus ad tres illos articulos in
Regis scripto propositos hæc respondit:
„quantum ad primum de Regis conver-
sione articulum attinet, summopere de-
sidero, ut illa sincera, & sine furo e-
veniat, id autem vix sperare licet,
„quip-

Sæcul.XVI.
A.C.1593.

Avil. l. c.

*Thu. l. 106.
Avil. l. c.*

Hist. Eccles. Tom. LI,

X

„quip-

Sæcul. XVI. „quippe ea mihi valde suspecta est, si
 A.C. 1593. „enim hæc ex vero, sinceroque ani-
 „mo, ac Dei instinctu proficisceretur,
 „ac Navarrus ex animo ad Dei Ecclesiam
 „redire cogitaret, tot moras interposi-
 „tus non fuisset, dilationes enim illæ
 „affectatæ, & intempestivæ, re adeo ur-
 „gente, procrastinationes nonnisi pro
 „simulatione, ac tergiversatione haberi
 „possunt, nec etiam tot Protestantibus
 „ministros, a quibus quotidie in sua
 „secta magis imbuitur, in sua aula nu-
 „triret, neque illos tam amplis co-
 „mularet favoribus, minus vero gra-
 „vissima Regni negotia eorum arbitrio
 „relinqueret: verum hæc ad nos non
 „pertinent, sed Pontificis, sedisque Apo-
 „stolicæ est de pœnitentia ejus, ac fidei
 „professione, verane, an ficta sit, pro-
 „nuntiare. Ad alterum caput de Re-
 „ligionis securitate respondit Archiepi-
 „scopus, quod circa hanc rem mentem
 „suam explicare haud posset, cum hac
 „ratione cum Principe ab Ecclesiæ
 „unione segregato ageret, ac judi-
 „cium, atque adeo auctoritatem fan-
 „ctæ Sedis prævenire videretur, aut
 „quidquam facere, quo Navarrum Re-
 „gem agnovisset, antequam Pontifex
 „eum in gratiam receperit. Denique
 „ad tertium caput, seu inducias respon-
 „dit, quod tunc, cum his duobus ca-
 „pitibus

pitibus satisfactum fuerit, plenius re-
sponsum daturus sit.

Sæcul. XVI.
A.C.1593.

§. LV.

*Bituricensis Archiepiscopi responsum
ad rationes a Fœderatorum
Deputatis allatas.*

Archiepiscopus Bituricensis loquentem
interpellans suspiciones de minus
sincera Regis voluntate, ac fide con-
ceptas diluere satagebat, exponens,
quod Rex decrevisset Legatos ad sum-
mum Pontificem mittere, qui eundem,
aut etiam majorem, quam ejus Præ-
decessores Franciæ Reges, honorem,
ac reverentiam eidem deferrent. Postea
Archipræsul fœderatorum Deputatos
ad pacem hortabatur, eos sic affatus:
„non cum Rege, sed cum Catholicis
„Principibus, ac Proceribus negotium
„inchoari potest, qui non minus de
„Religione in tuto locanda, quam vos,
„sunt solliciti:„ denique ad sermonis sui
finem hæc proferebat: „quandoquidem
„id, quod hactenus in eo colloquio per
„altercationes, & contentiones agita-
„tum est, & nunc agitur, magnum
„ad publicam utilitatem monumentum
„habeat, hinc ut id scripto ex utrius-
„que partis consensu fideliter mande-
„tur, saltem quoad principaliora ca-
„pita perscribatur, cum alias nil actum

*Thu. 1, c.
Daniel hist.
de France
t. 7. p. 178.*

X 2

„foret,

est, si
ne ani-
eretur,
clesiam
terposi-
im illæ
deo ur-
nisi pro
haberi
stantes
in sua
ula nu-
lis ca-
ero gra-
arbitrio
os non
ue Apo-
ac fidei
it, pro-
t de Re-
archiepi-
mentem
um hac
Ecclesiæ
c judi-
em san-
ar, aut
um Re-
ontifex
Denique
respon-
bus ca-
pitibus

Sæcul. XVI. „foret, nisi id, de quo agitur, inter
A. C. 1593. „ambas partes conveniret, ratumque
 „haberetur. „ Verum Lugdunensis Ar-
 chiepiscopus circa suum responsum ad
 præfatos tres articulos nil remittere
 voluit, & constanter hæc propugna-
 vit: „Franco-gallicum imperium in iis,
 „quæ sæcularem jurisdictionem spe-
 „ctant, a Deo solo pendere, neque sa-
 „periores agnoscere minime incia-
 „mur, quippe in terra Francica nati,
 „& legibus regni innutriti: verum ea
 „quæ fidei sunt, uti reconciliatio
 „cum ecclesia, absolutio a cen-
 „suris ecclesiasticis, & huiusmodi res,
 „ad solius Pastoris, qui universali Ec-
 „clesiæ præest, cognitionem pertinent;
 „is enim est, cui Jesus Christus Ecclesiæ
 „sux administrationem credidit, qui
 „potest solvere, ac dissolvere. „

Exinde confusi de Pontificis pote-
 state sermones jactati, multumque di-
 sputatam de utriusque potestatis discrimine in administrationibus publicis, necnon de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & de censurarum diplomatibus, quæ regis factionis Viri tantum monitiones, ac simplices declarationes esse contendebant.

Porro petitioni, qua hujus colloqui acta Bituricensis Archiepiscopus scripto tradi volebat, annuit Lugdunensis Archipræ-

chipræful, petiit tamen, ut uni Depu- Sæcul. XVI.
tato ab utraque parte id negotii dare- A.C.1593.
tur, quo stabilito Sessio solvebatur.

§. LVI.

*Rursus Vilettæ consultationes in-
choatæ.*

Hanc consultationem plures aliæ ex- Thu. l. 106.
cipiebant, ubi tamen ob varios tu- Mem. t. 2.
multus, & variarum opinionum con- pag. 116.
fusionem nil decidi poterat; quamvis
enim singuli de pace præclare loque-
rentur, nunquam tamen de certis eam
procurandi mediis inter se convenire
poterant: præcipue vero populus rau-
cis etiam faucibus vociferabatur: Pax!
Pax! unde ad plebem quodammodo
placandam consultationes continuari
decernebatur, quam in rem Vilettæ
prope Parisios alius denuo conventus
habebatur, ubi feria sexta die undecima
Julii Deputati convenerant, primaque
Sessio in ædibus Thuani habebatur.

Ibidem Bituricensis Archiepiscopus
scriptum proferebat, quo superiorum
confessuum actio fideliter, ac breviter
repetebatur, & quid Rex vocatis Epi-
scopis, ac Theologis facere decrevisset,
exponebatur, atque ad extremum in-
duciaæ toto regno pangendæ offere-
bantur.

X 3

Cum

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Cum ergo Fœderatorum Deputati paululum desuper consultaturi secessissent, tandem hoc responsum dabant: „nos scriptum acceptamus, quamquam illud non usquequaque transactis inter partes rebus conveniat, sed multa aliter, quam pronuntiata sunt, in eo concepta legantur; optamus tamen, ut acta hæc integra scripto mandentur, quæ in dies fideliter perscripta sunt: ad inducias quod attinet, non videmus, cur tantopere a Regiæ urgeantur, cum interim Drocum a Navarro Rege tam arcta prematur obsidione, & Maduanus nihilominus ad Mansfeldium Comitem scripserit, ut exercitum ex Galliis reduceret, & ab obsidione castellorum in limite possessorum omnino abstineret: ceterum quod rectum, justumque ac universæ Reipublicæ, Regnique tranquillitati salutare fuerit, id diligenter faciemus, interim non possumus silentio prætermittere, quosdam existere inter Regios concionatores, qui publice ex ambone sectarium virus evomunt, nec de Pastoribus Protestantium loquimur, sed de iis, qui Catholicam fidem problaterare inter Catholicos, ad publicam offensionem pertinet, & dissimulare probrosum est. „ Ad hæc Bituricensis

ricensis Archiepiscopus promisit, quod in hosce Concionatores inquirere, eosque punire velit, quibus peractis utrinque discessum est.

§. LVII.

Parisiensis Senatus edictum.

Has consultationes ægre ferebant Legatus Cardinalis, atque Hispani, qui nullum non movebant lapidem, ut inducias præpedirent, ac Franciæ diadema cujusdam exteri Principis capiti imponerent: verum etsi omnes suæ dexteritatis fontes exhaurirent, nunquam tamen sua molimina ad optatum exitum deducere poterant: insuper Parisiensis Senatus die vigesima octava Junii hanc in rem edictum promulgabat, in quo petentibus Regio Procuratore, Curia, omnibusque tribunalibus ibi congregatis declarabat, quod nunquam aliud intenderit, nisi ut Religio Catholica, Apostolica, & Romana per Universum Franciæ Regnum sub Regis Christianissimi, Religione Catholici, & Natione Galli præsidio firma servaretur, ac nihil magis cordi haberet, quam ut præcipuæ Regni leges custodirentur, hinc sese oppositurum dicebat omnibus pactis, per quæ Franciæ sceptrum ad alios Principes tam Viros, quam Fœminas etiam sub Religionis obtentu devolvi

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Le-Cayet chr. nov. tom. 2. mem. de la lig. tom. 5. Mem. p. 129.

X ♣ possiet,

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

possent, ea propter etiam quicquid circa hanc rem decerneretur, tanquam nullum, nulliusque valoris, a se declarari iniquiebat, cum ea contra legem Salicam attentarentur. Itaque ex huius edicti præscripto Joannes Magister Præses unacum pluribus aliis Senatus Ministris ad Maduanum Ducem jubente Curia sese contulit, ubi præsentibus Principibus, Regnique Ministris rursus adversus omnia pacta Regni legibus adversantia reclamabat.

§. LVIII.

*Renatus Benedictus pro Rege in fide
instituido accersitus, Legatis
que oppositio.*

*Tho. 1. 106.
Mem. de
l'Etoile t. 2.
pag. 139.*

Hoc edictum Hispanorum consilia penitus evertere videbatur, quamvis Ordinum conventus illud haud ægre ferret: vicissim vero Rex prospero horum rerum successu opportune usus propositum illud, quo in vera fide imbui desiderabat, serio executioni dare cœperat; quapropter Meduntæ ad Renatum Benedictum sancti Eustachii Parochum perscribens, eidem significabat, quod eum in oppido sancti Dionysii præstolaretur, eo quod cum illo de Religione conferre vellet. Ast re comperta Legatus hujus
Paro-

Parochi discessum præpedire, (*) ei-
 que persuadere nitebatur, quod cum Sæcul. XVI.
A.C. 1593.
 Rege absque summi Pontificis licentia
 agere haud posset: verum Benedictus
 Legati rationes flocci pendens die de-
 cima quarta Junii unacum Claudio Mo-
 reno sancti Mederici Parocho San-Dio-
 nyssopolin contendit, dum jam Chavi-
 niacus sancti Sulpitii Parochus eo præ-
 cesserat. Rex ergo dum trium horum
 Theologorum, quos accersiverat, ad-
 ventum comperit, quantocius die de-
 cima octava ejusdem Mensis Medunta
 profectus est, prius tamen Fayæ hære-
 tici Ministri sermoni ultima vice inter-
 fuit, postea autem die vigesima præ-
 fatos tres Doctores in oppido sancti Dio-
 nyssii convenit.

Interea Legatus vehementer com-
 motus hosce Parochos tanquam fidei
 deser-

(*) Nec abs re nam Legatum minime la-
 tebat, quod hic idem Renatus, eoquod Bi-
 bliorum versionem Genevensi haud abfimilem
 edidisset, de hæresi suspectus a Parisina Facul-
 tate damnatus fuerit, proin merito timeri po-
 tuerit, ne per ejusmodi Viri institutionem
 Rex potius in sua hæresi firmaretur, quam
 ad fidei veræ puritatem pertraheretur. Vide
 Hist. Contin. l. CLXX. §. 108. l. CLXXIII.
 §. 75. & lib. CLXXIV. §. 15. & 46.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

desertores traducebat, illos incusans, quod relicta Ecclesiæ unitate ad hæreticorum castra transfierint, insuper etiam toto studio Sorbonnæ Doctores eo induxit, ut illi hosce Viros anathemati irretitos, atque ab Ecclesia segregatos declararent: cum autem id obtinere non posset, ipse scriptum quoddam vulgabat, quo omnibus Ecclesiasticis constituta anathematis pœna interdictum, ne San-Dionysiopoli contenderent: præterea minitabatur, quod Regno excedere, ac Romam reverti vellet. Ergo hanc in rem altera die vigesima tertia Julii Ordinum Conventus habetur, ubi Honoratus Laurentius Ordinum Provincialium Deputatus suadebat, ut Legatus missis quibusdam Deputatis in Regno persistere rogaretur: verum Joannes Magister Præses sese opponens agebat, consultius fore, ut ejus discessus non impediretur, cum nonnisi dissensiones in urbe sereret.

§. LIX.

*Causa Josephi Fulonis S. Genevesæ
Abbatis.*

Thu. l. 107. *Mem. p. 134.* Sexto antea die Josephus Fulo Abbas Regularis sanctæ Genevesæ San-Dionysiopoli, ubi cum Rege circa ejus conversionem agebat, ad Parisinum Ecclesiæ

clesiæ Beatæ Virginis Decanum Ludovicum Seguerium literas dabat, in quibus se Regi summopere addictum esse, ac cum ingenti animi sui gaudio illius ad veram fidem reditum percepisse testabatur: verum literis hisce interceptis Fulo comprehensus custodiæ datur, moxque a Maduano Duce iudices nominantur, totiusque causæ cognitio Legato committitur: verum Fulo tanquam a iudice non legitimo appellans omnia adversus ipsum gesta tanquam irrita declarari petebat; unde Legatus hac appellatione commotus omnem sollicitudinem, incassum licet, impendit, ut ejusmodi provocationes ab abusu, ut vocant, abolerentur, nihilominus præfatus Abbas ad sanctam Genevesam libertati restitutus San-Dionysiopolin ad Regem confugit.

§. LX.

Henricus IV. Rex in fide orthodoxa institutus.

Etiam si Legatus Ecclesiasticis ad oppidum sancti Dionysii accedere prohibuisset, hi tamen tres Parochi Regem veræ fidei institutione imbuere satagebant, primumque cum eo colloquium summo mane die vigesimâ tertiâ Julii habebant: præter hos autem ex Præsulibus etiam intererant Reginaldus

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Thu. l. 107.
Avil. l. 13.
Spond. n. 17.
Daniel l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

naldus Belnensis, Bituricensis, Philippus Becus Nannetensis, Nicolaus Thuanus Carnotensis, Claudius Angenæus Cœnomanensis Episcopi, Jacobus David Ebroicum Episcopus designatus. Disputabatur circa plures articulos, quibus Rex sua dubia opponebat, quæ tamen adeo solide dissolvebantur, ut Rex grates vel maximas Episcopis referret, eoquod ea, quæ hucusque ignorasset, ab illis plene edoctus fuisset, quapropter palam profitebatur, quod animi sui mutatio sit clementis æque, ac potentis dexteræ Dei opus.

§. LXI.

Proposita fidei confessio.

Mem. p. 141.
Maimb. hist.
de la Lig.
l. 4. p. 494.
Es 495.

Postea Præsules Regi quoddam exhibebant scriptum, quod ejurationis normam continens Rex recitare jubebatur, ut corde, & animo errores, quibus hactenus implicitus erat, detestaretur, simulque profiteretur, ac sponderet, quod priusquam Ecclesiæ reconciliaretur, huic scripto chirographum suum apponere vellet: cum autem quædam fuissent inserta, quæ nec necessaria credebantur, atque etiam Regi, qui solido admodum judicio pollebat, minus rata habebantur, hinc ad Præsules conversus: „conscientiæ meæ, aje-
bat, satisfactum puto; unde contenti
fitis

fitis:., postea hoc scriptum aliis ad ma-
 turius examen relinqui petiit. Refert
 quoque Mezerajus, quod cuncta, quæ
 ad fidei summam non pertinebant, o-
 missa fuerint, scriptum tamen eo tenore,
 quo ab initio fuerat conceptum, ad Pa-
 pam fuisset transmissum, ut hic hujus
 Principis conversionem omnino inte-
 gram fuisse, eo certius crederet. Præ-
 terea alius quidam Historicus natione
 Gallus recenset, quod hæreticorum
 Ministri Morlasius, Roltamus, & So-
 llettes, aliique ex complacendi studio
 non parum ad Regis conversionem con-
 tulissent, cum horum unus adversus
 Perronium disputans concedere adige-
 retur, quod quivis in Ecclesia Catho-
 lica, Apostolico-Romana æternam sa-
 lutem consequi valeat: ad hæc enim
 illico Rex interrogabat, hunc Mini-
 strum ita allocutus: „Ergone! tu ipse
 „admittere cogaris, quod quivis in Re-
 „ligione horum Præsulum salutem suam
 „consequi valeat? „ cum ergo Minister
 Regi responderet, quod ipse de hoc mi-
 nime dubitaret, dummodo aliunde pro-
 bam duceret vitam: Rex cum summa
 judicii maturitate reposuit. „Si hæc
 „veritati innituntur, hinc ipsa etiam
 „prudencia suadet, ut horum Religio-
 „nem amplectar, vestram vero detester;
 „si enim horum Præsulum Religionem

Sæcul XVI.
 A.C.1593.

*Mezer. ab-
 regé chron.
 t. 3. p. 402.*

„se-

Sæcul. XVI. „sequor, tam ipsis, quam vobis affir-
 A.C. 1593. „mantibus salutem consequi valeo: ex
 „adverso si vestræ Religioni adhæream,
 „juxta vos quidem salvus fieri possum,
 „non item juxta illos: sana ergo pru-
 „dentia deposcit, ut id, quod tutius est,
 „sequar. „

Igitur nil ultra reliquum erat, nisi
 ut Rex solemniter ritum hæresin suam eju-
 raret, atque ab ea, necnon ab Ecclesiæ
 censuris solveretur: hanc autem in rem
 vigesima quinta Julii, in quam dies do-
 minica incidebat, præfigebatur.

§. LXII.

*Legati declaratio adversus hanc Re-
gis reconciliationem.*

Thuan. l. c. Cum Legatus nil intentatum relinque-
 ret, ut hanc Regis reconciliatio-
 nem præpediret, hinc die Sabbati vi-
 gesima quarta ejusdem Mensis diploma
 evulgandum curabat hujus tenoris:
 „Henricus Borbonius se pro Rege Fran-
 „ciæ, ac Navarræ gerens, a Sixto V.
 „nominatim hæreticus, relapsus, im-
 „pœnitens, caput, & fautor, ac de-
 „fensor manifestus hæreticorum decla-
 „ratus, ab alio, quam a Pontifice a
 „pœnis contra hæreticos relapsos, at-
 „que impœnitentes decretis absolvi non
 „potest, ac proinde quicquid a Præsu-
 „libus ob id evocatis, utpote potesta-
 „tem

Sæcul.XVI.
A.C.1593.

tem non habentibus contra fieret, ir-
ritum, ac nullius momenti erit, &
illi, qui Navarri deinceps rebus fave-
bunt, non minus propterea censuris
obnoxii fient, quapropter Catholici,
qui ad hanc diem in fide, & obsequio
Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Ro-
manæ constanter perstiterint, non sibi
in re tanti momenti illud patiuntur.
illos verò, qui hucusque partes Na-
varri secuti sunt, per misericordiæ vi-
scera moneo, ne errorem novo errore
cumulent, & scissuræ perniciosissimæ
portam aperiant, & quamquam per-
suasum mihi habeam, Præsules Ca-
tholicos ab illo evocatos ad urbem a-
sectariis occupatam non esse venturos,
mei tamen officii esse duxi, eos mo-
nere, ac enixe prohibere, ne ad il-
lud conventiculum accedant: si con-
tra fecerint, sciant se in censuras in-
cursuros, & Sacerdotiorum, ac di-
gnitatum sacrarum, quas obtinent,
jacturam facturos.

§. LXIII.

*Fæderati adversus hanc Regis conver-
sionem declamantes.*

Borbonius Cardinalis cum colloquiis, *Thuan. 3.*
quæ circa Henrici IV. institutionem *Mem. l. 6.*
habebantur, interesse prohiberetur,
hinc propterea in Regem exacerbatus
palam

Sæcul. XVI
A.C. 1593.

palam declarabat, quod Rex consulto
haud prius summo Pontifice absque e-
jus auctoritate ad Ecclesiæ gremium
admitti non potuerit, proin omnis alia
absolutio irrita fuerit, cum Pontifex
eam disertis verbis soli Sedis Apostolicæ
potestati reservavit: Insuper foederato-
rum Prædicatores e suggestu adversus
hunc Principem modo longe magis in-
digno debachabantur, quippe Parochus
sancti Petri ad Boves in Ecclesia sancti
Nicolai de Campis conscio Legato edi-
xerat, quod nullus Navarrum in Re-
gem agnoscere ullo pacto valeat, quin
prius ipse a summo Pontifice sua hæ-
resi solutus esset; alii autem contem-
debant, quod hic Princeps simulatam
suam conversionem differre debuisset ad
illam diem, in qua illud legeretur Evan-
gelium, quod prædicit, lupos sub ovina
pelle Ecclesiam intraturos. Præterea
celebris Joannes Bucherus sancti Be-
nedicti Parochus maledicendi rabie
efferatus, cum sæpius in defunctum
Regem Henricum III. contumeliosus, ac
seditiosus suis sermonibus tumultuatus
esset, non minus in ejus Successorem
injuriolosus esse voluit, novemque ser-
mones in Ecclesia sancti Mederici pro-
nuntiatos, ac Cardinali Legato inscri-
ptos edidit, sub hoc titulo: *Sermones*
de simulata Henrici Borbonii Bearnii Prin-
cipis

cipis ad Ecclesiam reconciliatione, & irri- Sæcul. XVI.
ta absolute facta in oppido sancti Dio- A.C.1593.
nysii die 25. Julii anno 1593. Hos ser-
 mones Bucherus anno sequenti, quo
 seditiosus hic Vir in Belgium secessit,
 Parisiis excusos, rursus Duaci prælo
 subijci curabat, ubi tamen reliquos
 vitæ suæ dies in extrema egestate tran-
 sigrere cogebatur: denique non minori,
 quam Bucherus, insolentia Joannes
 Guarinus professione Franciscanus na-
 tione Allobrox eo impudentiæ devenit,
 ut post virulentam declamationem ea
 de re habitam ad preces Deo faciendas
 adstantes hortatus fuerit, ne Ponti-
 fex, qui Spiritu Dei regitur, & infide
 errare non potest, Navarri precibus se
 facilem præberet, eique absolutionis
 beneficium elargiretur: insuper in ipsum
 Maduanum Ducem invectus eundem
 appellabat versipellem, qui Religionis
 velamine, ut clandestina sua consilia
 exequi valeret, sese contegere non
 erubisset.

§. LXIV.

*Solemnis ritus in Regis reconciliatione
 San-Dionysio poli servatus.*

Postquam in vulgus sparsum, quod *Mem. de*
 Rex die vigesima quinta Julii hæ- *Et, p. 135.*
 resi sua solemniter ejurata a censuris *Maimb. l. 4.*
 solvendus esset, populus turmatim, *pag. 499.*
Hist. Eccles. Tom. LI. Y quam-

Sæcul. XVI.
A. C. 1593.

*Mem. de la
Lig. t. 5.
pag. 403.*

quamquam iteratis edictis prohiberetur, e Parisina urbe ad oppidum sancti Dionysii contendebat, ut hujus rei spectaculo interesset. Eadem ergo vigesima quinta Julii die Dominica Rex mane circa octavam diei horam amictu candido insignis, magno Principum, Procerum, ac nobilitatis comitatu, Helvetiis, ac Scotis, aliisque viris egregia instructis cinctus ad majoris templi Abbatialis valvas accessit, ubi præcedebant duodecim Tubicines, comitante eos innumerabili hominum multitudine festive identidem acclamantium: *Vivat Rex.* Postea Rege ad majorem portam delato, in primo Ecclesiæ ingressu Archiepiscopus Bituricensis Pontificio habitu ornatus in Cathedra, stragulis candidis velata, ex qua insignia Franciæ, & Navarræ hinc inde propendebant, confidebat, adstantibus Borbonio Cardinale, pluribus Episcopis, omnibusque illius Abbatiz Religiosis, qui crucem, & sacrum Evangeliorum librum præferentes Regem præstolabantur.

Postea idem Bituricensis Archipræsul præprimis quærebat ex Henrico, quis esset, & quid peteret? postquam ille se Regem esse, & in Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ gremium recipi petere respondit, rursus interpellavit

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

lavit eum Præful, an id ex animo vellet? Rex se istud velle, & optare dicebat, ac mox in genua procumbens Deum Optimum Maximum protestabatur, quod cupiat in Religione Catholica Apostolica Romana vivere, ac mori, eam contra omnes tutari, vel vitæ periculo paratus, ac ultro cunctis hæresibus Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ contrariis renuntiare. His dictis fidei professionem charta comprehensam, & manu propria subscriptam adhuc dum in Ecclesiæ aditu hærens, ac genuflexus recitabat, quæ erat his verbis concepta: „Protestor, & juro in Dei omnipotentis conspectu, quod in Religione Catholica, Apostolica, & Romana vivere, ac mori, eamque adversus omnes etiam cum proprii mei sanguinis, & vitæ dispendio protegere, defendere, omnibusque hæresibus præfatæ Ecclesiæ doctrinæ contrariis nuntium mittere velim.„ Eodem momento Rex tradidit Bituricensi scriptum quoddam suo chirographo munitum, in quo hæc eadem fidei professio amplioribus verbis descripta habebatur.

His peractis Rex adhuc in Ecclesiæ ingressu genuflexus Præfulis annulum deosculatus illius benedictionem recepit, suamque ejurationem recitavit: demum a Bituricensi Archiepiscopo, & Borbonio

Y 2

bonio

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

bonio Cardinale in pedes erectus, vix tandem ob innumeram concurrantis populi multitudinem ad Ecclesiæ chororum deduci poterat, ubi eum sequebantur Nannetensis, Sagiensis, Dinensis, Maleacensis, Carnotensis, Cœnomanensis, & Andegavensis Episcopi, necnon Rénatus Dallonius, & Jacobus David Perronius, quorum primus erat Castellienfis, alter vero Ebroicenfis Præful designatus: insuper eundem combatantur illius Abbatiae Religiosi præter Parisiensem, & Bellovacensem Decanos, Bellosanensem, & Coronienfem Abbates, & Abrincensem Archidiaconum ad Cadomensem sancti Stephani Abbatiam nominatum: præterea inter istos aderant sancti Stephani, & sancti Sulpitii Parochi, Theologiæ Doctores, & Frater Oliverius Berangerus pariter Doctor, ac destinatus Regis Concionator, præter sancti Gervasii, & sancti Mederici Parochos, coram quibus Rex ante Aram majorem in genua procumbens iterato ad sacra Evangelia jurans suam pollicitationem innovabat.

§. LXV.

Rex expiata coram Sacerdote conscientia Rei divina præsens.

Thu. l. 107. Eodem tempore Rex e terra surgens
avila l. 13. signo Crucis prius edito altare ipsum
aeolicu

deosculatus est: inde ad papilionem post altare exstructum recessit, ubi supplicem Regem ad sacrum tribunal admisit Bituricensis Archipræsul, eique post secretam confessionem absolutionis beneficium impertivit, cum interim a Musicis Beatorum Ambrosii, & Augustini hymnus decantaretur.

Sæcul. XVI.
A C. 1593.

Postea Rex expiatis confessione maculis ad mediam Sanctuarii partem deducebatur, ubi scabellum velo ex chremesina bombyce fusci coloris contexto, ac liliis distincto contextum sub aureo umbraculo erigebatur, ibidem vero Rex sacro solemniter, quod Nannetensis Episcopus celebrabat, cum eximia pietate interfuit, ejus dexteram Bituricensi Archiepiscopo, sinistram vero Borbonio Cardinale stipantibus, circumfusisque omnibus illis, quos mox nominavimus: ab illius autem tergo stabant Principes, Cancellarius, Regni Ministri, Senatus, & superioris Consilii Curiae, necnon ærarii officiales: deinde ubi Evangelium decantabatur, Cardinalis Regi librum deosculandum porrexit, eumque ad oblationem peragendam deduxit: cum autem sacra Hostia elevaretur, ab omnibus observatum, quod Rex corpore profunde inclinato pectus suum tunderet, eademque pietate pacis signum sibi ab eodem

Sæcul. XVI. Cardinale datum reciperet. Denique
A. C. 1593. sacro peracto Henricus personan-
 tibus undique tympanis, tubisque, nec-
 non reboantibus belli tormentis ab Ec-
 clesia recedebat, amplasque pecunias
 in vulgus spargi iubens ad Abbatiam
 deducebatur, ubi etiam prandio refectus
 est, quo finito ad Templum reversus
 sermoni, per Bituricensem pronuntiato,
 necnon vespertinis laudibus interfuit,
 quibus absolutis equo vectus ad Mon-
 tem-Martyrum contendit, ut ibidem
 apud sanctorum Martyrum, Franciæ
 Apostolorum, monumenta Deo pro sua
 conversione grates rependeret.

§. LXVI.

*Diversum circa Regis ejurationem
judicium.*

Ceteram de hoc Principis reditu ad
 Religionem Catholicam varii di-
 versam ferebant opinionem, & quidem
 fœderati singulariter a Legato incitati
 hanc mutationem, velut irritam inter-
 pretabantur, eoquod Henricus a sum-
 mo Pontifice a sua hæresi absolutus non
 fuisset, hinc idem quoque judicium
 vulgi animis instillare satagebant, ut
 ulterius dissidia foverent: ex adverso
 autem Regii propugnabant, quod in
 præsentis rerum vicissitudine absolutio
 ab Episcopo data valida, ac sufficiens
 fuerit.

fuerit: eapropter ultro, citroque scri-
 pta divulgabantur, in quibus unusquis-
 que suam propugnabat sententiam: at-
 tamen illorum, qui regiis partibus
 favebant, iudicium utpote veritati ma-
 gis consonum, altius infedit animis po-
 pulorum, qui Concionatorum fœderi
 addictorum declamationes flocci pende-
 bant: quinimo ipsemet Maduanus Dux
 se de hac Regis mutatione plurimum
 gaudere fingebat, & cum Henrico Rege
 trimestres pangebatur inducias, quæ post-
 ea ad residuam anni partem protrahe-
 bantur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

§. LXVII.

*Legati sollicitudo pro promulganda
 Tridentina Synodo.*

His induciis Legatus semper magis
 ira commotus e regno exire mini-
 tabatur, quamvis omnes impense eum
 rogarent, ut tandem adhuc subsisteret,
 unde non pauci, dum pacem exopta-
 bant, simul ejus discessum præpedien-
 tes diffusionem fovere videbantur. Hic
 idem jam ad comitorum auspicia ve-
 hementer urgebat, ut Concilium Tri-
 dentinum in Galliis reciperetur, per-
 inde ac si ab ejus observatione Religio
 Catholica dependeret: equidem in
 conventu hanc in rem die nona Aprilis
 habito, eidem, incassum licet, expo-
 neba-

Thu. l. 105.
 Pasquier
 recherch.
 cap. 34.

Sæcul. XVI
A.C. 1593

nebatur, quod nonnulla discipline capita in hoc concilio stabilita Nationis privilegia, atque Ecclesiæ Gallicanæ libertates labefactarent, ipse tamen potissimum hac ex ratione Concilium recipi urgebat: ut ergo ejus precibus quicquam daretur, Joannes Magister primus Præses, & Guilielmus Vairius, qui ambo erant viri probitate clari, atque a factionum studio alieni, acta hujus Concilii discutere jubebantur, simulque annotare, quæ disciplinæ legibus, hujusque Regni consuetudinibus aduersa essent.

§. LXVIII.

Hujus Concilii acta in Gallis discussa.

Hi Deputati, ut commisso sibi muneri satisfacerent, paulo post ad comitia libellum detulerunt, in quo viginti sex articulos proponebant, quorum summa hæc erat: Primo id, quod Sessione quarta sancitum est de auctoribus, & impressoribus, quos vocant, librorum prohibitorum, ut ii tanquam temerarii violatores verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur, adversatur edictis Henrici II, quorum unum quidem ad Fontembellaqueum anno millesimo quingentesimo quadragésimo septimo, alterum

rum vero ad Briandi-castrum anno mil-
 lesimo quingentesimo quinquagesimo
 primo conditum fuit: insuper idipsum
 repugnat Caroli IX. Constitutioni in Au-
 relianensibus Comitibus factæ anno mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo, &
 sexto post anno Molinii, & alibi repetitæ.
 II. Sessione sexta cap. I. Concilium Pon-
 tifici facit potestatem Episcopos insti-
 tuendi, atque in Episcoporum contu-
 macium locum, qui ad gregem suum
 assidui non sunt, alios sufficiens; ve-
 rum id nominationibus Regiis, & pa-
 ctis inter Leonem X., & Franciscum I.
 initis derogat. III. Sessione VII. cap.
 xv. Sessione XXI. cap. viii. Sessione
 XXII. cap. viii. Sessione XXV. cap. viii.
 Episcopi tanquam a Sede Apostolica de-
 legati omnium tam in ultima volun-
 tate, quam inter vivos piarum dona-
 tionum executores, Nosocomiorum,
 collegiorum, item fabricarum, & con-
 fraternitatum laicarum, ac scholarum
 inspectores constituuntur, eisque jus de
 iis cognoscendi, fructus dispensandi,
 ac sequestrandi, rationes exigendi, pra-
 vos administratores, & in munere suo
 negligentes abrogandi, aliosque in eo-
 rum locum substituendi tribuit; hoc au-
 tem edictis regiis anni millesimi quin-
 gentesimi quadragesimi quarti, &
 anni millesimi quingentesimi sexa-
 gesimi,

Sæcul. XVI.
 A. C. 1593.

Y 5

Sæcul. XVI gesimi, & anni rursus sequentis derogat; hæc enim edicta rationum exigendarum, & hujusmodi rerum cognitionem regiis iudicibus tribuunt, ne regie auctoritati derogetur, ad quam solam omnium rerum, quæ ditioni eius subsunt, cognitio pertinet, cujusmodi Nosocomiorum, fabricarum, Collegiorum, & Scholarum bona sunt. IV. Sessione XXIV. cap. v. conservatorie literæ, ac conservatores iudices omnino abolerentur, sine distinctione, an regii, vel ecclesiastici iudices sint: hoc autem caput Regie auctoritati, in eo, quod regios iudices non excipiat, derogat, & adversatur Senatus decretis in eo, quod ecclesiasticos conservatores spectat, quorum jurisdictio ab illis confirmatur. V. Eadem Sessione cap. I. animadvertendi in clandestina matrimonia contrahentes, & testes, qui adfuerunt, Episcopis facultas datur; id vero est contra usum inter Gallos receptum, & Senatus-consulta, quæ ecclesiastico iudici tantum de fœdere matrimonii cognoscere permittunt: de aliis autem nimirum de dote, de damnis, & lucris, de pœnis infligendis id illis haud concedunt, nam de iis tantum iudices Regii pronuntiant, prout Blesensibus Comitibus cavetur. VI. Sessione XXV. cap. IX. cognitio de patronatibus tam laicis, quam

quam sacris Episcopis attribuitur. Ast ^{Sæcul.XVI.} ^{A.C.1593.}
 pugnat hoc cum jure gallico, & Senatus-Consultis, quæ de patronatibus
 laicis cognitionem judici regio tribuunt, sive de possessorio, sive de petitorio agatur: cognitionem item ei tribuunt, excepto petitorio, circa patronatus ecclesiastici jura, quorum cognitio Episcopo reservatur. VII. Sessione XXI. cap. iv. præcipitur, ut illis Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocunque pertinentibus, adeo, ut hic, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficient ad vitam ipsorum sustentandam: verum id est contra usum in regno receptum, qui nullum Episcopo in laicos jus tribuit, nisi in iis, quæ ad Sacramenta, aliasque spirituales actiones pertinent: non autem id fiat in rebus profanis, cujusmodi sunt alimenta. VIII. Eadem Sessione cap. VIII. mandatur Episcopis, ut Sacerdotiorum ædificia invisant, curentque etiam per sequestrationem fructuum, ut ea, quæ renovatione indigent, aut in restauratione, reficiantur: id vero pugnat cum Senatus-Consultis, quæ sæpius pronuntiarunt, quod de ædificiorum hujusmodi refectione tanquam de re profana

Sæcul XVI. A.C. 1593. fana soli iudices Regii cognoscere, ac statuere possint: insuper usus apud Gallos receptus pignorum capiendorum, aut sequestrandorum fructuum iure ecclesiastico iudici omnino interdicat, idque solis iudicibus regiis, aut aliis laicis concedit. IX. Sessione sequenti cap. x. jus tribuitur Episcopis, ut possint in quoscunque notarios, etiamsi Apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, tanquam Sedis Apostolicæ delegati inquirere, & examinatione adhibita eorum peritiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quomodocunque in munere suo delinquentibus, sui ejusdem officii in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuo, aut ad tempus prohibere. Attamen id auctoritati Regiæ, ac Magistratuum contrariatur, ad quos solos, nec alios pertinet, munere suo officiales regios privare, aut ad tempus ejus exercendi usum prohibere. X. Sessione XXIII. cap. vi. Bonifacii VIII. constitutio confirmatur, qua Clerici conjugati, non bigami, prima tonsura initiati jurisdictioni Episcopi subjiciuntur quoad omnes causas tam civiles, quam criminales: verum hoc directe pugnat cum auctoritate regia, & ipsius jurisdictione, atque adeo usum apud Gallos usurpatum

patum violat, vi cuius conjugati, ac soluti laici, licet tonsura initiati, Episcopi jurisdictioni minime subiacent, nisi de Sacramento, aut re pure spirituali agatur. XI. Sessione sequenti cap.viii. coercitio contra concubenarios, & adulteros, tam viros, quam foeminas Episcopis, sive Ordinariis tribuitur: id tamen Regis auctoritati refragatur, ejusque Magistratibus, penes quos solos de concubinato, & adultério inter laicos cognitio est. XII Sessione eadem cap.xix. indulta, sive nominationes Collegiis, Univeritatibus, Senatoribus, aliisque personis singularibus concessæ abrogantur: ast hoc in Senatus Parisiensis odium, ac præjudicium decretum esse videtur. XIII. Sessione XXV. cap.iii. conceditur omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, & Capuccinorum, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia possidere eis liceat: verum caput istud repugnat mendicantium ordinationi compluribus Curix decretis approbatæ, ac confirmatæ, cui derogari non potest, quantum ad res profanas spectat, cujusmodi immobilia sunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Sæcul. XVI. sunt, nisi de expresso Regis mandato, ac per ejus diplomata in Senatu promulgata.

A C 1592.

Postmodum in progressu hujus belli carpebantur plura ejusdem Sessionis decreta, nec pauca alia, quibus Episcoporum jura ultra legitimos fines (*) non sine regie auctoritatis, & Magistratum præjudicio extendebantur, aut Curie Romanæ attribuebantur ea jura, quæ Franciæ Aula, & Ecclesia Gallicana nunquam admisit.

§. LXIX.

Concilium Tridentinum a Fœderatis receptum.

Hæ quidem fuerunt relationes a Magistro Præsidente, & Vairio in generalibus

(*) Qua ratione ergo auctor libri de statu Ecclesiæ cap. I. §. 8. n. II. conqueri poterat. Episcopos in hoc Concilio indigne fuisse habitos, eorumque jura fuisse mutilata? Nempe quicquid a summis Pontificibus, atque Ecclesiasticis etiam in Conciliis fit, semper sciolorum, & Pseudo-politicorum censuræ expositum est; hoc autem fatum omni tempore Concilia experiri cogebantur, quoties illorum discussio aut profanis, aut saltem illis, quibus obedire, non autem præesse, & imperare competit, relicta, vel ab ipsis arrogata fuit.

ralibus Ordinum comitiis factæ, ubi ^{Sæcul. XVI.}
 etiam utriusque adnotationes a non- ^{A.C. 1593.}
 nullis, qui ambos hosce Deputatos plu-
 rimum deprædicabant, cum gaudio fue-
 runt receptæ, a potissimis vero acriter
 damnatæ: nihilominus Papæ Legatus,
 cui totum negotium communicabatur,
 suam indignationem dissimulabat, op-
 portunius temporis spatium, quo men-
 tēm suam aperire posset, expectandum
 ratus: igitur occasione protinus oblata
 in quodam conventu, qui tumultuarie
 die sexta Augusti habebatur, rursus
 hoc negotium in deliberationem vene-
 rat, ipsoque Legato id sollicitante, una-
 nimi omnium consensu (*) Synodus
 recipiebatur, ac biduo post publica il-
 lius promulgatio fiebat, solemni pror-
 sus ritu, ac die præstituta a fœderatis,
 qui etiam fœderis juramentum innova-
 bant, Legatus vero sermonem ad con-
 gregatos habuit, quo finito una omnes
 ad Templum sancti Germani Antisio-
 dorensis processere, ut publicas Deo gra-
 tes rependerent. Attamen cum hic
 consensus seditionis tempore a factio-
 rum

(*) Si unanimis omnium consensus acces-
 sit, quomodo tumultuarie factus dici potest
 hic Conventus, ubi generales Ordines con-
 venerant, & consenserant, non autem factio-
 rum agmen.

Sæcul. XVI. forum agmine fuerit datus, ipse etiam
A.C. 1593. Pontifex hanc consensionem duntaxat
 velut acceptationis speciem habuit,
 prout exinde conjicere licet, quia is
 postea sæpius tentabat, ut magis vera,
 solemnibus, ac legibus consona obtineri
 possit hujus Synodi acceptatio.

§. LXX.

*Solemnis Legatio Romam a Rege
 decreta.*

Fœderati dum vera Nationis jura tan-
 toper negligebant, interea Henri-
 cus IV. honorificam adornabat legatio-
 nem ad summum Pontificem, ut eidem
 debitum præstaret obsequium, atque
 absolutionem, quam ab Episcopo rece-
 perat, ab eodem confirmari peteret.
 Porro hujus Legationis cura præcipue
 committebatur Ludovico Gonzagæ Ni-
 verniensi Duci, cui adjuncti fuere Clau-
 dius Angeneus Cenomanensis Episco-
 pus, vir doctrina, & pietate inter om-
 nes Galliæ Episcopos præstans, Lu-
 dovicus Seguerius Ecclesiæ Parisien-
 sis Decanus, Jacobus David Perronius
 Ebroicum Episcopus designatus, &
 Claudius Goinius Ecclesiæ Bellovacen-
 sis Decanus: ut autem ad benignum
 colloquium hosce Legatos eo pronius
 admitteret Pontifex, hinc Rex Isaiam
 Brocardum Cliellam præmisit unacum
 San-

San-Dionyfiopoli die decimo octavo Sæcul. XVI.
 Aprilis data; observandum enim venit, A.C. 1593.
 quod Bituricensis Archiepiscopus, dum
 Regem ab hæresis crimine, & apostasia
 absolverat, eumque Ecclesiæ Romanæ
 reconciliaverat, necnon ad Sacramentorum
 usum admiserat, suæ formulæ verbis hæc
 addiderit: *Salva sacre Sedis Apostolicæ
 auctoritate*, ex quibus verbis omnes inferebant,
 quod vi hujus clausulæ hic Princeps adhuc
 dum summi Pontificis absolute indigeret,
 aut saltem opus foret, ut idem eam
 ratam haberet, cum ergo Fœderati huic
 rei vehementer insisterent, hinc Rex
 sequentem ad Papam perscripsit epistolam,

§. LXXI.

Henrici IV. Regis epistola ad Papam.

Beatissime Pater!

»Postquam a Deo illustratus agnoveram,
 »quod Ecclesia Catholica, Apostolica,
 »lica, & Romana sit vera Ecclesia ve-
 »ritatis plena, in qua sola est salus ho-
 »minum, insuper cum nunc adhuc ma-
 »gis in eadem fide, & Religione con-
 »fortatus fui per instructiones a Præ-
 »sulis, & sacre Facultatis Theolo-
 »gicæ Doctoribus hanc in rem cou-
 »vocatis, solutaque dubia, quæ me
 »hucusque ab Ecclesia avulsum tene-
 »bant,

*Lett. Card.
 Offat. t. 1.
 pag. 248.*

Hist. Eccles. Tom. 1.1.

Z

Sæcul. XVI. „bant, hinc me huic sanctæ Ecclesiæ
 A.C. 1593 „aggregare, atque adjuvante illo, qui
 „benigne me ad illam vocavit, in ea
 „vivere, & mori statui: ut ergo pio
 „huic operi initium darem, postquam
 „a præfatis Præsulibus juxta consue-
 „tum morem, & solemnitates, quas hi
 „necessarias censebant, quibusve ego
 „me lubenter subjeci, ad hoc opus exe-
 „quendum admissus fueram, die Do-
 „minica vigesima quinta Julii rei divinæ
 „intersui, measque preces aliis probor-
 „um Catholicorum votis velut præfate
 „Ecclesiæ aggregatus junxi, firmiter sta-
 „tuens, quod per totum vitæ meæ tem-
 „pus in hujus Ecclesiæ unione perse-
 „verare, necnon Sanctitati vestræ, sa-
 „cræque Sedi debitam obedientiam, ac
 „submissionm deferre velim, juxta
 „exemplum meorum Prædecessorum
 „Regum Christianissimorum: firma au-
 „tem spe vivo, Beatissime Pater, quod
 „Sanctitas vestra gaudium ex sancta
 „hac actione sit perceptura, cum ea
 „congrua sit illi loco, in quem Deo San-
 „ctitatem vestram collocare placuit:
 „eapropter donec solemnem Legationem
 „per Viros nobiles, ac præclaris
 „dotibus conspicuos luculentius meum
 „obsequium Sanctitati vestræ præsta-
 „re poterō, interea hisce literis a
 „me scriptis primum hoc filialis
 „meæ

„meæ erga Sanctitatem vestram submis-
 „sionis testimonium reddere volui, ei-
 „dem perdemisse supplicans, ut illas
 „benigno obtutu dignari, atque in bo-
 „nam partem vertere velit, prout illæ
 „etiam ex animo sincero, affectuque
 „pleno procedunt, ut per meas actio-
 „nes sacram vestram benedictionem
 „promereri valeam: eapropter, Bea-
 „tissime Pater, Deum exoro, ut Sancti-
 „tatem vestram diu incolumen pro bono
 „regimine totius sanctæ Ecclesiæ con-
 „servare dignetur.

Sæcul. XVI.
 A C. 1593.

„Fidelis, & addictus Filius
 Henricus.

§. LXXII.

*Alia Præsulum, Regiorumque Do-
 ctorum epistola ad eundem
 Papam.*

Præterea Præsules, & Doctores, qui *Ossat. p. 249.*
 Regem Catholicæ fidei præceptis
 imbuebant, eumque a censuris solve-
 bant, desuper summum Pontificem cer-
 tiorem reddiderunt, atque octavo Idi-
 bus Augusti, seu sexta ejusdem Mensis
 die communi omnium nomine ad eun-
 dem Papam literas dederunt his con-
 ceptas verbis. Beatissime Pater.

„Sub humillimo sacrorum pedum
 „osculo nos Archiepiscopi, Episcopi,
 „Docto-

Z 2

Sæcul. XVI
A.C. 1593.

„Doctores, & Ecclesiastici, qui ex om-
 „nibus viribus nostris sub Sanctitatis
 „vestræ, cui intime addicti sumus, au-
 „spiciis in id intenti fuimus, ut Hen-
 „ricus Rex noster ad sanctam Ecclesiam
 „Catholico-Romanam rediret, humil-
 „lime Sanctitati vestræ supplicamus,
 „ut nullatenus opinari velit, quod vel
 „temeritatis, aut arrogantiae stimulo
 „aggressi fuerimus id, quod ur ente
 „necessitate pro salute, & emolumento
 „Ecclesiæ fecimus, nam Sanctitas ve-
 „stra facile iudicabit, atque evidenter
 „cognoscet, quod omnia gesta fuerint,
 „salva Sedis Apostolicæ dignitate, at-
 „que submissione Sanctitati vestræ de-
 „bita, hinc nulla mora ad Sanctitatem
 „vestram ex nostris quempiam ablegabi-
 „mus, qui eandem de tota rei gestæ
 „serie sigillatim certiore reddat: in-
 „terea summis votis Sanctitatem ve-
 „stram exoramus, ut de nobis faven-
 „tem concipere mentem velit tanquam
 „de addictissimis Ecclesiæ Filiis, Sancti-
 „tati vestræ humillimo affectu subjectis,
 „insuper rogamus Deum omnipoten-
 „tem, ut eandem per plures annos suæ
 „Ecclesiæ incolumen conservare digne-
 „tur. Datum San-Dionysopoli &c.
 Huic epistolæ ceteris prior nomen suum
 apposuerat Cardinalis Borbonius, post-
 ea Bituricensis Episcopus, Philippus
 Becus

Becus Nannetensis, Henricus Maignan Sæcul. XVI.
 Diniensis, Ludovicus Sagiensis, Nico- A.C. 1593.
 laus Thuanus Carnotensis, Carolus
 Elcarhus Lingonensis Dux, atque Epi-
 scopus, & Claudius Cenomanensis An-
 tistes, Carolus Episcopus Andegaven-
 sis, Renatus Dallonius Castellatensis
 Abbas, designatus Episcopus Bajocen-
 sis, Joannes David Perronius, & Joan-
 nes Volvira Coronensis Abbas, nec-
 non Joannes Touchard Abbas Bellosa-
 nensis, Joannes Hot Abbas sancti Ste-
 phani Cadomensis, Renatus Benedictus
 Parisiensis Doctor, Aymarus Chavana-
 cus itidem Doctor, Claudius Moren-
 nas ad sanctum Medericum Parochus,
 & Claudius Guinius Bellovacensis Ca-
 pituli Decanus, præter Nicolaum Hesse-
 linum, & Joannem Gobellinum sancti
 Dionysii Religiosos, ac Parisienses Do-
 ctiores.

§. LXXIII.

*Mandata per Cliellam ad magnum
 Etruriæ Ducem deferenda.*

Præter duas hæc epistolas, quas Cliel- *Let. d' Offat*
 la Romam ad Pontificem deferre *pag. 251.*
 jubebatur, insuper eidem injunctum,
 ut ad magnum Etruriæ Ducem pergens
 eidem hæc exponeret: „Enimvero Rex
 „non illico juxta amicorum suorum vota
 „ad Catholicæ Ecclesiæ sinum reversus
 „est,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

„est, id tamen non voluntatis vitium
 „erat, sed ideo hoc factum, quia suo-
 „rum hostium violentia, & potentia
 „tantum Romæ valuit, ut adeo non ad
 „amplectendam fidem Catholicam præ-
 „sto fuerint, quin etiam omnes inter-
 „cluderent vias, per quas ei ad Ecclesie
 „accessum aditus patuisset, quamvis
 „vero suorum Principum, ac Ministro-
 „rum preces apud Papam interpositæ
 „suo successu caruerint, propterea ta-
 „men Rex suum, quo in suorum Ma-
 „jorum Religione vivere anhellabat, de-
 „siderium non abjecit, licet enim una
 „ex parte Regi haud incognitum esset,
 „quod sua conversione sibi conciliaret
 „suorum corda subditorum, qui dum-
 „taxat ob Religionis diversitatem ab eo
 „alieni existebant, ex altera tamen parte
 „probe prospexit, quod hujus concilia-
 „tionis fructus ab adversæ partis Prin-
 „cipibus præpediendus sit, atque ejus-
 „modi mutatio illum pristinorum suo-
 „rum amicorum, & fœderatorum au-
 „xiliis privare possit: nihilominus die
 „vigesima Julii Rex Præfules, & Do-
 „ctores convocabat, ut ab eis fidei do-
 „ctrinas edoceretur, die autem vigesi-
 „ma quinta ejusdem Mensis abjurata
 „hæresi sua a Bituricensi Archiepiscopo
 „absolutionem recepit, Ad hæc Cliella
 Regis sui nomine perdemisse Magno
 Duci

Duci supplicabat, ut eidem, quamprimum fieri poterit, ducenta millia aureorum suppetias transmittere velit, unacum stipendiis pro Helvetica gente, quæ Gondius nomine serenissimi Ducis eidem promiserat, ut harum pecuniarum subsidio opportune bellum in Sabaudia Ducem movere valeret, cum hic Delphinatum infestis armis invadere pararet: insuper idem Cliella Ducem rogare jubebatur, ut Romæ suam auctoritatem impendere, Aulæque Romanæ benevolentiam Galliarum Regi conciliare velit.

§. LXXIV.

Cliella Romam delatus.

Vix Cliella Romam venerat, cum illico Seraphinum Oliverium Rotæ Auditorem accederet, eoquod Rex quamdam epistolam ad illum deferendam tradidisset, aliunde vero hic idem Doctor regiis partibus addictissimus esset, porro is, cum mansuetissimæ indolis Vir, ac morum comitate, & festivi sermonis jucunditate acceptus magni haberetur, quondam pro privatis negotiis ad Papæ alloquium admissus Regis literas, quas Cliella detulerat, summo Pontifici porrexit, eidem hæc exponens: „Beatissime Pater, en! literas a Navarræ Rege ad Sanctitatem

Avil. l. 14.

Z 4

„ve-

Sæcul. XVI. „vestram datas :., Ad hæc Clemens VIII.
A.C. 1593. vel admiratione defixus, vel ulterius
 dissimulare paratus, indignabundo ani-
 mo Oliverium dimittere volebat, ast
 hic faceto sermone reposuit: „Beatissi-
 „me Pater, si Diabolus a te ejusmodi
 „alloquium peteret, non ei id denegare
 „deberes, si hac via dæmonem ad sa-
 „lutem revocandi spem haberes.„ Ad
 hæc verba Pontifex subridere cæpit,
 Seraphinus autem propensum Papæ
 animum in rem suam vertere intentus,
 eidem suavit, ut Cliellam non quidem
 tanquam Navarræ Regis Nuntium, sed
 velut privatum Nobilem Gallum ad al-
 loquium admitteret, perinde ac si hic
 plures particulares novitates narratum
 venisset, atque illæ Pontifici admodum
 gratæ acciderent. Percepto hoc Se-
 raphini sermone Papa respondit, se rem
 maturius consideraturum.

§. LXXV.

*Ciella noctu ad Pontificis alloquium
admissus.**Avil. l. c.*

Eodem adhuc vespere summus Ponti-
 fex per Sannesium, qui ex præci-
 puis Petri Aldobrandini Nepotis sui Do-
 mesticis unus erat, Offato significare
 iussit, quod cum illo Nobili non ita pri-
 dem ex Francia Romam delato colloqui
 vellet, eundem vero certum redderet
 de

de optato successu; porro hæc Offatus Sæcul. XVI.
A.C.1593.
eidem significare jubebatur, perinde
acti ea non Papæ, sed proprio suo no-
mine huic Nobili suggestisset, proin hic
ob difficultates, quas forte ab initio ex-
perturus esset, haud animum despon-
deret. Sequenti nocte Silvius Anto-
nianus rei vestiariæ apud Papam Præ-
fectus Oliverium, & Cliellam convene-
rat, atque ambos per scalam secretam
ad Pontificis cubile deducebat, ubi
Cliella Clementi VIII. exponebat, quod
a Galliarum Rege Sanctitatis suæ pedes
deosculaturus, simulque hujus Princi-
pis literas porrecturus Romam missus
fuisset: verum Clemens hujus Oratoris
sermonem interrumpens, vultu ad iram
studiose composito hæc respondit: „de-
„cepisti me, putabam, mihi cum pri-
„vato Nobili agendum fore, non au-
„tem cum hæretici, relapsi, atque ex-
„communicati Procuratore, quapropter
„confestim hinc discede, nec unquam
„coram me compareas velim.” Ast
Cliella nihil inde commotus, prout
ipsi jam antea suggestum fuerat, con-
tinuato sermone perdemisse ita reposuit:
„cum non plus obtinere valeam, sal-
„tem Regis mei literas, ac Legationis
„meæ tenorem descriptum relinquam:”
Ad hæc Rex simulato nutu Oratori si-
gnificabat, ut suas literas rursus secum
defer-

Sæcul. XVI. deferret, nihilominus postea illas ac-
 A.C. 1593. cepit, easque suæ mensæ imposuit.
 Igitur Orator Sanctitatis suæ pedes de-
 osculatus, obtenta abeundi venia ad
 eundem deducebatur locum, unde ve-
 nerat: altera autem die Francisco To-
 leto Cardinali colloqui jubebatur.

Ergo cum illo tertia jam vice lon-
 gius agens, tandem hoc in responsis
 accepit, quod Sanctitas sua petitam
 gratiam Regi concedere nequeat, cum
 is jam semel eandem ob causam sup-
 plex sacram Sedem interpellasset, postea
 vero rursus ad pristinos suos errores re-
 versus Religionem Catholicam, quam
 tum amplexus erat, abjecisset: cete-
 rum in hoc alludebat Toletus ad ea,
 quæ sedente Gregorio XIII. gesta fuere,
 dum Carolus IX. Navarræ Regem ad
 ejurandam suam hæresin adigens de-
 super ad summum Pontificem literas
 dabat: cum igitur Toletus Cardinalis
 haud ampliorem successus spem dare
 posset, Cliella Franciam versus iter ar-
 ripuit.

§. LXXVI.

*Varius Romæ de Regis conversione
 sermo.*

Hæc cum interea gererentur, Gon-
 zalez Pontius Legionensis, qui
 Papæ a cubiculis erat, Romæ de di-
 sciplina

disciplina Ecclesiastica tractatum edidit, in quo propugnabat, hæreticum, relapsum, ac sæpius anathemate percussum in Regno Catholico non esse tolerandum, ac proin Præfulum Gallorum declarationem esse schismaticam, & tanquam talem a sancti Officii tribunali censuris notandam. Edito hoc scripto Arnaldus Ossatus calamum suum acere, atque opposito scripto respondere statuit, necnon ex pluribus rationibus, quas sacri Canones, atque Ecclesiæ Doctores eidem suggerebant, demonstratum ibat, quod Pontifex Regis conversionem non modo absque ulla hæsitacione approbare, eumque ad sinum Ecclesiæ recipere possit, sed & teneatur: verum Ossatus tum Romæ agens, hoc suum responsum, quamvis illud satis moderatum doctrinam apprime Catholicam contineret, typis edendi facultatem obtinere haud poterat, quapropter nonnisi quosdam descriptos divulgabat Codices, qui tamen a Viris sano judicio præditis cum applausu excipiebantur, imo & ipsemet Pontifex hoc scriptum clam approbabat, hancque doctrinam sensim invalescere haud ægre ferebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

§. LXXVII.

Saecul. XVI.

A C 1593.

§. LXXVII.

Barrerius Regis vitæ insidias frueremolitus, captusque.

Th. 1. 107.

Mez. abregé.

9. 3. p. 464.

Mem. de

Etoil.

C. 2. p. 182.

Cum interea hoc scriptum Romæ divulgaretur, Hispani in Francia vitæ Henrici IV. insidias fruebant, nam exeunte Mense Augusto quidam miles nomine Petrus Barrerius, qui hunc Principem trucidare tentabat, capiebatur. Erat is viginti septem annorum juvenis, ad nefanda tamen crimina jam affuesfactus, qui suum animi propositum quibusdam manifestabat Religiosis, a quibus, ut inquiebat ipse, ad exequendum suum consilium vehementer incitabatur, priusquam vero rem aggrediretur, rursus Patrem Seraphinum Biancum, seu Bianchi Florentinum ex Ordine sancti Dominici tum Lugduni agentem consultabat: ast hujus Religiosi fidelitas atrox Barrerii propositum detegebat, quippe Biancus hujus scelerati propositionem se non sine animi voluptate percipere simulabat, eum rogans, ut sequentis adhuc diei spatium ad deliberandum sibi indulgeret: Barrerio autem abeunte hic Religiosus Nobilem quemdam nomine Brancaleonem monet, ut præfixa hora ad Prædicatorum conventum veniret, quid tamen rei ageretur, eidem non manifestabat, ubi

Sæcul. XVI.
A. C. 1593.

ubi præstituta etiam die Barrerius venit, quocum præfatus Dominicanus, & Nobilis diutius de negotiis ad rem minime spectantibus conferebant, postea vero Blancus Barrerium cum ambiguo responso dimittit: porro absente hoc perfido totam rei summam huic Nobili aperit, eumque monet, ut quam citissime posset, desuper Regem certiores redderet. Hæc gesta fuere ineunte Mense Augusto: cum autem induciæ nondum essent firmatæ, nec de viarum securitate cautum esset, Brancaleon nonnisi post Barrerii adventum Parisios venire potuisset, unde hominem sibi ostensum saltem a pictore delineari curat, illiusque imaginem ad Regem transmittit. Hic sceleratus postquam Parisios venerat, mox deducitur ad Christophorum Aubrium sancti Andreæ in arcibus Parochum, necnon ad Patrem Varadam Rectorem Jesuitarum, qui, ut fertur, Regis conversionem esse simulatam Barriero persuadentes ipsum ad facinus exequendum animabant, in idque sacra confessione, sumptoque Viatico muniendum curabant: verum hoc factum Jesuitæ constanter tanquam atrocem calumniam a se amoliti sunt: ut autem res se habuerit, id certum est, quod Barrierus empto cultello illum utrinque ipse ad cœtem acuerit, sicque

Sæcul. XVI. sicque instructus Lutetia profectus Ne-
 A.C. 1593. lodunum, ubi Rex agebat, contenderit.

§. LXXVIII.

Hujus Sicarii Supplicium.

*Thu. l. 103.
 Avil l. c.
 Mem. de
 l'Étoil.*

Paulopost Barrerii adventum & in se
 Brancaleon Parisios delatus statim
 illum agnovit, eumque supremo lacer-
 litum Præfecto indicavit, qui eum a
 suis comprehendi jussit. Postea Barre-
 rius cum Brancaleone commissus in suo
 responso titubabat, quamvis fateretur,
 quod quidem ab initio, cum Lugduni
 esset, Regis interficiendi propositum ce-
 pisset, remque cum quodam Domini-
 cano contulisset, inaudiens vero Regem
 ad Ecclesiam rediisse, consilium hoc
 omisisset, & ob eas, quas memoravi-
 mus causas, vitæ solutæ pertæsus in
 Capucinorum strictiorem disciplinam se
 dare voluisset, quam ob causam se Lu-
 tetiam venisse dictitabat, cum vero Au-
 relianum, unde natus erat, remissus
 esset, in itinere ad Fanum-Dionysii se
 divertisse inquiebat: porro cum culter,
 quocum deprehensus fuerat, ei ostende-
 retur, non se alios in usus eum compa-
 rasse dejerabat, quam ut eo in pane
 & esculentis secandis uteretur.

Nihilominus quæstioni subjectus,
 unanimi suffragio ad mortem damna-
 batur: quamprimum vero eidem hæc
 senten-

sententia fuerat annuntiata, agnita culpa ingenue omnes sui sceleris conditiones accurate confessus, illos, qui eidem ad tantum nefas Auctores exstiterant, detestari videbatur: quapropter Judices, qui antea censebant, quod pugno, quo cultrum teneret, amputato, partibusque carnosis forcipe ardenti discerptis, membrisque fractis vivus rotæ impositus tandem comburendus esset, cum illum nunc seria pœnitentia duci crederent, hujus supplicii severitatem moderabantur, hinc membris rota fractis strangulatus est. Gesta hæc fuere die ultima Aprilis: priusquam vero hic infelix homo animam reddebat, duos adhuc Sacerdotes ad id scelus Lugduni auctoratos omnino cavendos esse monuerat, eorumque formam describens illos pro exequendo hoc scelere Lugdunensi urbe excessisse ajebat.

§. LXXIX.

Nivernius Dux in itinere Romam versus jussu Pontificis revocatus.

Interea Nivernius Dux jam itineri Romam versus sese dederat, ac Poschiam in Valle Telina perveniens Patrem Possevinum Jesuitam obvium habuit, qui eidem nomine Pontificis, a quo missus fuerat, hæc significabat: „summus Pontifex lætatur quidem de re-
„con-

Avil. l. 14.

Thu. l. 108.

Cayet. t. 2.

Sæcul.XVI.
A C.1593.

Sæcul. XVI. „conciliatione Regis cum Ecclesia, ac
A.C. 1593. „optat, ut ea talis sit, qualem esse o-
 „portet; ceterum sua Sanctitas te, ut
 „Legatum Regis, quem nondum hac
 „dignitate præditum agnoscit, ad col-
 „loquium admittere non valet: proin-
 „haud necesse est, ut ulterius cum
 „tuo incommodo procedas: „ Nivernius
 nihilominus iter suum prosequens ne-
 quaquam Romam versus, sed recta
 Mantuam contendit, ac Patrem Polle-
 vinum dimisit unacum literis ad Papam,
 ejusque Nepotes inscriptis, quibus plu-
 ribus rationibus Papam impellere nite-
 batur, ut Romam venire, atque Ora-
 toris munia exercere permetteretur:
 verum Papa ab initio sese flecti nescium
 simulabat, tandem vero Veneti, &
 Florentini Oratorum, necnon Cardina-
 lis Toleti precibus cedens Nivernium
 Ducem non quidem tanquam Franciæ
 Regis Legatum, sed velut Principem
 Italum, & Catholicum admittere, ac
 excipere voluit, quem in finem Polle-
 vinum Mantuam ad eundem rursus ab-
 legabat unacum Cardinalis Sancti Geor-
 gii, qui Papæ Nepos erat, epistola die
 vigesima quinta Octobris data: paulo-
 post vero idem Dux alias ejusdem Car-
 dinalis literas die sexta Novembris scri-
 ptas recepit, in quibus significatum,
 quod summo Pontifici gratum foret, si
 exigu

exiguo comitatu stipatus nonnisi tan-
quam privatus Nobilis absque Legati
in signibus, & apparatu Romam ingre-
deretur, nec etiam plus decem diebus
ibidem sese detineret.

§. LXXX.

*Nivernius Romam venire, & sine ap-
paratu urbem ingredi permissus.*

Nivernius Dux summi Pontificis vo-
luntati cedens vigesima prima No-
vembris die ad vesperam Romanam Ur-
bem non quidem per portam Flaminiam,
sed per portam Angelicam ingrediebatur,
eademque die noctu tanquam pri-
vatus Princeps ad sacrorum pedum
osculum admissus in hoc primo colloquio
duntaxat summo Pontifici supplicabat,
ut decem dierum moram sibi præscri-
ptam, utpote ad tanti negotii sibi in-
iuncti discussionem nimis brevem pro-
longare, eique concedere velit, qua-
tenus Cardinales visum ire, illisque li-
teras sibi a Rege Domino suo traditas
consignare posset: insuper Dux Pa-
pam rogabat, ut coram Hispaniæ Regis
Legatis, & Maduani Ducis Oratoribus
Regis, Regni que causam agere liceret,
ut ipsis etiam fatentibus coram Sancti-
tate sua, sacroque collegio, quod Fran-
ciæ Regis jamjam ad Ecclesiæ sinum
reversi receptioni jure obsistere ne-
queant,

Hist. Eccles. Tom. LI.

Aa

Sæcul. XVI

A.C. 1593.

Thu. l. 108.

Mem de

Nevers t. I.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

queant, palam facere, simulque fœderatos convincere posset, quanta impudentia per fallacias artificiose confictas summis Pontificibus illusum fuerit, Regnumque Franciæ Romæ, atque in tota Italia in eo statu depictum, in quo tamen reipsa nunquam fuerit. Ad hæc Pontifex duntaxat respondit, quod rem cum Cardinalibus conferre, ac desuper deliberare velit.

§. LXXXI.

Dux ad alterum alloquium a Papa admissus, suasque rationes exponens.

Thuan. l. c.
Avil. l. 14.

Biduo post Nivernius Dux rursus ad alloquium admissus unacum septuaginta Franciæ Nobilibus comparuit, ac denuo institit, quatenus ei coram Hispaniæ Legatis, & fœderatorum Deputatis perorare liceret: præterea Sanctitatem suam præcipue persuasam reddere nitebatur, quod tanquam supremus Pontifex, ac Christi Vicarius Principem, qui ad Ecclesiæ sinum redire cupit, rejicere haud possit, ac tanquam Pater prudens, ac providus, rerumque experientia plene edoctus respuere non debeat obedientiam, & submissionem, quam ei validior Regni pars deferre parata est, cum dux, & amplius Regni partes Henrico IV. adhærerent, præter

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

ter regii Sanguinis Principes, omnes-
que ferme Belliduces, Senatores, Ma-
gistratus, Tribunalia, Gubernatores,
eorumque Vicarios, necnon Nobiles,
qui una omnes pro Religionis Catholicæ,
suique legitimi Principis defensione san-
guinem suum fundere parati sunt. In-
super idem Dux Papæ demonstrabat,
quod tanquam libertatis publicæ Pro-
tector permittere haud valeat, ut bello
tam cruento, ac pernicioso diutius pro-
tracto Franciæ Regnum in discrimen
adducatur, ne in se divisum in varias
partes distraheretur, non sine mani-
festo periculo, ne omnes Christiani Prin-
cipes, & præcipue sacra Sedes in ser-
vilitatem redigatur. Demum hosce tres
articulos fusius demonstrans præprimis
Legatum tanquam partium studio ab-
reptum infimulabat, ostendens, quod
Hispanis omnino devinctus esset.

His præmissis omnes victorias a Rege
reportatas paucis verbis referens com-
probatum reddebat, quod hæ ipsius
fortitudini adscribendæ essent, pluri-
mum tamen ad eas Nobilium, popu-
lorumque Regi addictorum potentia,
& valor contulerit: ex adverso autem
fœderatorum æque, ac Hispanorum
vires plurimum imminutas dicebat, ac
præsertim Hispanos redarguebat, quod
suis artificiis, ac dolosis machinationi-

A a 2

bus

Sæcul. XVI
A.C. 1593

bus ad intestina diffidia in Regno excitanda apti forent, ea tamen armis suis ad optatum finem perducere haud valerent: ad hæc declarabat Dux, quod cuncta eorum molimina hucusque attentata unice eo colliment, ut Regnum usurpare valerent, arcanumque hoc illorum consilium non ita pridem fuerit detectum, dum innotuit, quod Regis Filiam eligi, ac postmodum, vel cum Ernesto Archiduce, vel cum Guisio Duce desponsari intenderint: denique Pontificis pietatem, atque æquitatis amorem obtestans rogabat, ne legem Salicam, aliasque præcipuas Regni leges violari, minus vero consilia fovere velit illorum, qui regnum Principi, cui tamen natalium jure debetur, totis viribus eripere moliantur: insuper obsecrabat, ne permittere velit, ut hostes ejus nomine, & auctoritate abutentes diffidia concitent, simulque regni Christianissimi, quod jure merito primogenita sanctæ Ecclesiæ Filia appellari valet, fundamenta evertant. His in fine addebat Nivernius Dux: „Præfules, qui Regem a censuris absolvebant, eo fine mecum advenere, „ut & ipsi ad Sanctitatis suæ pedes „provoluti de sua agendi ratione eandem „certiorem reddere possent, spe freti, „fore, ut Sanctitati suæ luculento testi- „monio

„monio comprobatum facere valeant, Sæcul. XVI.
 „quod ne latum quidem unquam ab ob- A.C. 1593.
 „sequio sacræ Sedis decretis debito de-
 „flexerint, nihilque egerint, quod sa-
 „cris Canonibus, ac veteribus Eccle-
 „siæ præceptis, ac ipsius Sanctitatis ve-
 „stræ menti apprime consonum non
 „foret. „

§. LXXXII.

*Pontificis responsum, ad Nivernium
 Ducem.*

Postea Nivernius Dux summo Pontifici Thuan. &
Avil. l. c.
 suavit, ut absolutionem ab Episco-
 pis Regi datam confirmare velit: ast
 Clemens VIII. hucusque tacitus Ducem
 exceperat, tum vero eidem significa-
 bat, se de responso maturius delibera-
 turum, demum vero evoluto biduo per
 Antonianum eidem exponi voluit, quod
 decem dierum spatium, quod pro ipsius
 in Romana urbe mora præstituisset, ex-
 tendere haud posset, cum vereretur,
 ne apud probos Catholicos in suspicio-
 nem veniret: de cetero se ad foedera-
 torum patrociniū obstrictum fateba-
 tur, eoquod hi sacræ Sedi integra fide
 addicti constantissime Religionem tutati
 essent, atque etiamnum illam arden-
 tius, quam unquam, defenderent: cum
 ergo haud alia cum eo pertractanda oc-
 current, præscriptum moræ tempus

Sæcul. XVI
A.C. 1593.

abunde sufficere inquebat, nec necesse, ut Cardinales visum iret, eo quod durat taxat tanquam privatus Princeps, non autem velut Orator urbem ingressus esset: Prælatos vero, qui eum comitati essent, ad alloquium non admitte-
ndos declarabat, nisi prius Cardina-
lem Sanseverinatem supremum Inquisi-
tionis, sacræque Pœnitentiariæ Præ-
fectum accessissent, ut ab eo circa rei
summam examinarentur.

§. LXXXIII.

*Alia Ducis postulata in tertio collo-
quio proposita.*

*Thuan. &
Dacil. l. c.
Mem. l. c.
tom. I.*

Quamquam Dux hoc responsum æ-
gerrime ferret, Cardinalem tamen
Toletum accedens, eundem impense
rogabat, ut obtenta Pontificis venia
Prælatos itineris sui socios Sanctitati
sue sistere posset: verum irritum erat
Ducis votum, nihilominus Dux Romæ
subsistere voluit, ac præstituto tem-
pore ad finem vergente rursus ad
Papæ alloquium admitti tentabat: cum
vero Pontifex ardens Nivernii deside-
rium intelligeret, eidem significari ius-
sit, quod die quinta Decembris illum
excipere vellet: ergo Dux veritus, ne
hoc colloquium fors postremum foret,
ad Clementis VIII. pedes provolutus,
per sanctum Jesu nomen, ejusque ado-
randum

randum sanguinem pro Gentilium, & Sæcul. XVI.
 infidelium salute in Cruce effusum, A.C. 1593.
 necnon per exemplum boni Pastoris, qui
 unam deperditam reperturus nonaginta
 oves in deserto reliquit, ac Filio pro-
 digo obviam ivit, eundem Papam ob-
 secrabat, ut saltem Regem pœnitentem,
 & humiliatum pro suæ conscientiae fe-
 curitate recipere vellet: ast Pontifex,
 cum Ducem e terra elevaret, eidem
 durius sic respondit: „Regem sincero
 „animo ad veram fidem rediisse non
 „credidero, nisi Angelus de cælo a Deo
 „missus id mihi manifestaverit., Ad
 hæc verba Nivernius lacrimas ultra
 continendo impar liberiori voce excla-
 mabat: „injuria Regi meo infertur, ac
 „ipsum ego non sine contumelia indigne
 „habeor., cum autem demandatæ
 suæ facultatis diploma exhibere para-
 ret, Pontifex illud acceptare recusabat,
 libellum tamen, qui omnium hucus-
 que dictorum summam continuit, a
 Duce recepit, quo factò, solutoque col-
 loquio Pontifex Nivernio valere jussò
 dixit, quod quantoçius ipse de postre-
 ma sua voluntate eum certiozem red-
 diturus esset.

§. LXXXIV.

Alia Nivernio a Pontifice proposita.

Aa 4

Vix

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

*Thuan. 83
Avil. l. 6.*

Vix domum reversus erat Nivernius, cum illico Pontifex eidem per Toletum Cardinalem significari juberet, sibi nuntiatum esse, quod Prælati, qui cum Duce venerant, coram Cardinale Sanseverinate nolent comparere, hinc illis liberum foret, Arragonensem accedere, eoquod is Congregationis pro Franciæ rebus stabilitæ Præses illos perbenigne excepturus esset. reposuit Nivernius Dux: „hi Præfules „mecum tanquam Oratores Romam „venerunt, proin tanquam criminum „rei haberi nolunt: si vero illos ad „loquium admittere, Pontifici placue- „rit, ipsimet de omnibus, quæ egerunt, „accurate rationem reddituri suam innocentiam vindicabunt.„ Ad hæc respondit Toletus, indignum esse cum summo Pontifice altercationem instituere, mox autem Dux in responsis dedit: „nec id diffiteor: attamen Præfules hi nil aliud petunt, nisi ut ad „loquium admissi Sanctitatis suæ pedes „deosculari valeant, actum suas rationes Cardinalibus Nepotibus ejus Ministris exponere permittantur, ubi etiam interesse poterit Arragonius Cardinalis, si id Pontifici bene visum fuerit: „ Verum hoc petatum Papa reject, ac interea evolutis aliquot diebus clam Nivernio Duci significari jussit, quod

quod usque ad Januarii initium tuto
Romæ subsistere posset.

Sæc. XVI.
A.C. 1593.

§. LXXXV.

Pontificis declaratio in pleno Purpuratorum Senatu facta.

Cum circa tanti momenti negotium
Romæ varii sermones spargerentur,
ac Cardinalium nonnulli rem duntaxat inter Pontificem, & quosdam privatos, non autem in pleno Patrum Senatu agitari indignarentur, hinc Clemens VIII., ut ejusmodi querelis obicem poneret, die vigesima Decembris omnium Cardinalium Senatum cogi præcepit, ubi quorundam, qui ipsius agendi rationem carpere præsumperunt, libertatem acrius redarguens, congregatis hæc declarabat: „nec excusationes, nec Navarræ regis submissiones excipere volo, eoquod conscientiæ meæ religione prohibear, tanta facilitate Principi relapso fidem adstruere, necnon potentissimum Franciæ Regnum eidem committere, nisi prius debita, ac necessaria circumspeditione usus fuerim; si enim res aliter decideretur, levitatis notam non effugerem, cumque omnes meo iudicio, ut notum est, starent, sententiam hac in re pronuntiare nequeo, nisi hoc negotio prius mature discusso, ne cæ-

Thu. l. 108.
Avil. l. 14.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

„corum Dux audiam, probosque Ca-
„tholicos natione Gallos æternæ dam-
„nationis periculo exponam: proin om-
„nibus certo persuasum fit, quod in
„tanti momenti negotio animi constan-
„tia mihi non desit, nec unquam per-
„missurus sim, ut nimia dissimulatione,
„aut dolosis humanæ prudentiæ arti-
„bus circumveniar.„ Hac declaratio-
ne Hispanorum Cardinalium indigna-
tiones cessabant, ac Nivernius Dux omni
prosperi successus spe frustrabatur.

§. LXXXVI.

*Quatuor Præfules ad Purpuram
nominati.*

Ciac vit.
Pontif. t. 4.
pag. 277.

Priusquam Nivernius Dux Romam ve-
nerat, summus Pontifex die deci-
ma septima Mensis Septembris quatuor
Cardinales, & quidem duos Presbyteros,
totidemque Diaconos creabat, quos inter
primus erat Lucius Saxus cognomento
Neapolitanus, eo quod ejus Pater Carolo V.
Imperatori in Neapolis Regno a consiliis
fuiſſet. Natus erat Lucius anno Christi
millesimo quingentesimo septuagesimo
primo, primusque fuit Ripatrasonis in
Marchia Anconitana Episcopus, ac proin
Firmensis Archiepiscopi Suffraganeus,
quamvis quinto post anno hanc Ecclesiam
dimitteret, ac Romæ in privatæ vitæ
tranquillitate
dies

dies suos transigere statueret, postea tamen septuaginta duos annos agens a Clemente VIII. sacro Purpuratorum Collegio aggregatus titulum sanctorum Quiriaci, & Julitæ obtinuit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Alter erat Franciscus Toletus Hispanus Jesuita, qui ad titulum sanctæ Mariæ Transtiberim promotus suæ fortunæ felicitatem Joanni Aldobrandino Pontificis Fratri in acceptis referre tenebatur,

Tertius erat Petrus Aldobrandinus patria Romanus Papæ Nepos, qui Cardinalis Diaconus titulo sancti Nicolai in carcere nominatus, postea justitiæ, ut vocant, Signaturæ præpositus, ac demum sacræ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, necnon Ravennæ Archiepiscopus, & Sabinensis Episcopus renunciabatur.

Quartus denique Purpura decorabatur Cinthius Posserus Senogalliensis, alter Papæ ex Matris suæ Sorore Nepos, qui Cardinalis Diaconus primo tit. sancti Georgii, & postea sancti Petri ad vincula nominabatur,

§. LXXXVII.

*Scipio Gonzaga de Mantua
mortuus.*

Hi quatuor Cardinales recens nominati sedes occupabant duorum Cardinali-

Giac. l. c.
pag. 176.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Cardinalium, qui hoc anno vivis erepti erant, ex quibus primus erat Scipio Gonzaga Mantuanus Caroli Gazoli, & Æmilix ex eadem familia progenitæ Filius, natusque Mense Novembri anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo: cum autem præclaris ingenii dotibus præditus esset, eximios in scientiis, necnon in græco, & latino idiomate progressus fecerat, quibus sibi omnium Italiæ eruditorum amicitiam conciliabat: unde celebris Marcus Antonius Muretus eidem suarum orationum quasdam nuncupaverat, quinimo ipsemet Scipio nonnulla opuscula, atque inter alia quædam Italica poemata admodum ingeniosa composuit, ac priusquam sacræ militiæ nomen dabat, Patavii celebriorum Virorum academiam erexit, quamprimum vero sacratioris vitæ genus amplexus erat, Romam contendit, ubi a Pio V., & Gregorio XIII. plurimi habitus Ludovicum Madrutium Cardinalem in sua legatione in Germaniam combatatur: inde Romam redux, cum ob quasdam arces cum Guilielmo Mantuæ Duce litigare coactus esset, grave sibi negotium facessebat, tanta utrinque contentione, ut Scipio jussu Gregorii XIII. comprehensus custodiæ daretur, inde tamen a Sixto V. liberatus primo Patri-

Patriarcha Jerosolymitanus, & postea
 Mense Decembri anno Salutis nostræ
 millesimo quingentesimo octogesimo se-
 ptimo Cardinalis renuntiabatur, ob-
 tento titulo sanctæ Mariæ de Populo,
 quem Sixtus V. in ejus favorem recens
 instituerat. Obiit Scipio hoc anno die
 undecima Februarii podagræ doloribus
 confectus in sancti Martini oppido, quod
 paternæ ditionis erat, porro in Eccle-
 sia sancti Sebastiani in Sacello a suis
 Majoribus erecto sepultus fuit.

§. LXXXVIII.

Cardinalis Spinolæ obitus.

Alter erat Philippus Spinola Genuen-
 sis Augustini Filius anno Incarna-
 tionis Dominicæ millesimo quingente-
 simo trigesimo quinto die vigesima no-
 na Novembris natus, qui ex primævo
 naturæ beneficio adeo propensum ad
 scientias præseferbat animum, ut jam
 ab unguiculis futuræ eruditionis spe-
 cimina satis luculenta ederet, quapro-
 pter cum maximo progressu literis va-
 cans primo Patriæ suæ utilitati sua ob-
 sequia dicabat, ac primis subselliis cum
 summo applausu præerat. Post hæc
 Romam delatus Bisinianensis Episcopus
 in Neapolis Regno circa annum restau-
 ratæ salutis millesimum quingentesi-
 mum sexagesimum sextum nominaba-
 tur,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1593.

Ciac. p. 95.
 Mir. in elog.
 gent. Spin.
 Ughel. It.
 Sacra.

Sæcul. XVI.

A.C 1593.

tur, inde vero anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo nono ad Nolanam Ecclesiam translatus est, instante Rudolpho II. Imperatore, in cuius Regia Octavius ejus Frater Pincernam agebat. Denique Philippus, licet absens a Gregorio XIII. Purpura Romana decoratus inter Cardinales Presbyteros titulum sanctæ Sabinae adoptabat, atque a Sixto V. Perusinae, Spoletani Ducatus, seu Umbrinae Legatus, ac sub Clemente VIII. Hungariae, & Germaniae rebus unacum aliis Cardinalibus præficiebatur, Cæsarisque res Romæ absente Madrutio Cardinale procurabat: præterea interfuit sacris comitiis, ubi in favorem Sixti V., Urbani VII., Gregorii XIV., Innocentii IX. & Clementis VIII. suffragium tulerat: denique assiduis morbis attritus Nolanum Episcopatum dimisit, atque ab omni sæculi strepitu alienam vitam ducens ex calculi dolore die vigesima Mensis Augusti anno a partu Virginis millesimo quingentesimo nonagesimo tertio Romæ animam Deo reddidit, postquam sexagesimum sextum ætatis suæ annum attigerat unacum octo mensibus, ac viginti octo diebus, corpusque ejus primo in Ecclesia sanctæ Sabinae sepultum, & postea Genuam translatum in Majorum suorum sepulcro reconditum est.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

*Auspicia Instituti de Doctrina
Christiana.*

Sæcul XVI.
A.C. 1593.

Clementis VIII. Pontificis sollicitudini debetur institutio Congregationis de Doctrina Christiana, cujus primus Auctor exstitit Cæsar de Bus origine Comensis in Mediolanensi Ducatu; sanctus enim hic Vir unice pauperibus rite instituendis intentus novam adinvenerat methodum, qua Concilii Tridentini catechismus in Scholis prælegi posset; unde hanc rationem in usum non sine magno fructu deducens alios Ecclesiasticos sui Zeli imitatores sibi adjungebat, novamque hanc Societatem a summo Pontifice ratam haberi datis literis supplicabat, quapropter Clemens VIII. totam hujus negotii curam Taurusio Avenionensi Archiepiscopo, ac postea Cardinali demandabat, qui Cæsaris probitatem plurimi habens hoc institutum, cujus utilitatem sibi perspectam habuit, lubenti animo approbabat, toto studio in id incumbens, ut pia hæc consilia suo auxilio promoveret: ideo Cæsari Ecclesiam sanctæ Praxedis tanquam novæ Congregationis sedem attribui procurabat, cum hic locus, quem olim Moniales Ordinis sancti Dominici incolebant, velut desertus relinquere-

*Heliot. hist.
des Ordre.
Monast. t.4.
cap. 24.
Jacob Mar-
ceb. vie de
Cæsar de
Stus impri-
mé a Lyon
1619.*

tur:

Sæcul. XVI. tur: ibi autem Cæsar quantocius quos-
A.C. 1593. dam congregabat Religiosos, quamvis
 ejus Institutum nonnisi quinto post an-
 no Pontificia auctoritate confirmaretur.

§. XC.

*Clementis VIII. Constitutio adversus
 Judæos.*

*Bull. t. 3.
 pag. 26.
 Const. 17.
 Spond. hoc
 ann. n. 2.*

Hoc item anno idem summus Pontifex Pauli IV., & Pii V. constitutiones, quibus leges, & statuta Judæis in ditione ecclesiastica commorantibus præscribebantur, ratas habuit, atque extendit, & quidem præcipue illis inhibuit, ne quemcunque librum adversus Religionem Christianam legerent, aut penes se retinerent. Cum vero immodicis suis usuris, quas præprimis a pauperibus extorquebant, ingentia Christianis damna inferrent, ac millenis fraudibus ditionis Pontificiæ populos deciperent, hinc Clemens VIII. indicta omnium bonorum proscriptionis poena, necnon triremium supplicio una omnes ex tota ecclesiastica ditione exulare jussit. Cum autem vereretur, ne penitus ejecti ad Infidelium Nationes emigrarent, atque hujus commercii opportunitate magis adhuc a veritatis agnitione, animæque salute alieni redderentur, hinc eis permisit, ut Romæ, Avinionæ, & Anconæ morari valerent, patriæ

trix vero legibus obtemperantes sum- Sæcul. XVI.
 morum Pontificum statuta in iis, quæ A.C. 1593
 ad civile regimen pertinent, observa-
 rent: insuper idem Papa per aliud di-
 ploma die ultima Februarii editum suo-
 rum Prædecessorum Constitutiones in-
 novabat, ratasque habebat, quibus
 Thalmudi, alique perverfi damnaban-
 tur libri, quibus Judæi Christianam
 religionem pervertere satagebant:
 quapropter quoscunque ejusmodi Co-
 dices retinendi facultates revocans,
 ejusmodi licentiam eis imposterum dari,
 vel hosce libros vendi, aut typis edi
 inhibuit, statuta in transgressores bo-
 norum proscriptione, & excommunica-
 tionis majoris pœna, aliorumque sup-
 pliciorum comminatione.

§. XCI.

*Alia ejusdem Pontificis diplomata cir-
 ca varia argumenta.*

Præterea hoc anno idem Pontifex plu- Bull. p. 29.
 res alias edidit Constitutiones, qua-
 rum prima die decimo quarto Aprilis
 promulgata concernit reformationem
 circa electionem Præpositi generalis,
 aliorumque Prælatorum Congregatio-
 nis Monachorum Eremitarum S. Hie-
 ronymi de observantia, sub regula S.
 Augustini.

Hist. Ecclesiast. Tom. LL. Bb II. Al-

Sæcul. XVI.

A.C. 1593.

II. Altera die vigesimo sexto ejusdem Mensis edita summus Pontifex confirmabat gratias a Pontificibus Prædecessoribus concessas Congregationi Clericorum Regularium S. Majoli, alias de Somascha, cum aliorum privilegiorum concessione.

III. Duo ejusdem Pontificis diplomata, quorum primum die secunda, alterum vero vigesima nona Maji prodiit, respiciebant Fratres Carmelitas mitigatos, quibus prima constitutione prohibetur, ne pro impetrandis dignitatibus, sui que Ordinis Officiis extra Religionem amicos, & Patronos sibi procurent, ubi Pontifex declarat, electiones hac via factas omnino nullas esse.

IV. Altera Constitutione idem Papa Congregationem Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo separabat a fratribus mitigatis ejusdem Ordinis.

§. XCII.

Congregatio pro examinandis Episcopis recens electis a Pontifice erecta.

Ciac. l. 6.
tom. 4.

Pariter Clemens VIII. pro Præfulum recens electorum examine Congregationem instituit, ipsosque illos, quos nominabat, circa Canones, legesque ecclesiasticas interrogans ceteros ex
Theo-

Theologia examinandos ad Bellarmi-
num Cardinalem remittebat. Porro
hæc congregatio ex octo, vel decem
Cardinalibus, ac præfixo Præfulum,
& Doctorum ex diversis Ordinibus af-
sumptorum numero confistit, atque ho-
diedum adhuc viget, præsentemque sum-
mo Pontifice habetur, ubi illi, quos
Papa ad Episcopatus pro solis Italiæ Ec-
clesiis promovere intendit, examinan-
tur, reliqui autem ad exterâs sedes e-
vehendi ab hac lege exempti sunt: exa-
minandus autem coram Pontifice in
pulvinari genuflexus comparere cogi-
tur, cui omnes adstantes libere varias
quæstiones dissolvendas proponere va-
lent: peracto autem hoc examine ille,
qui Congregationi a secretis est, exa-
minati nomen tabulis inscribit, quo
facto jamjam ad Episcopatum admissus
habetur: si tamen quidam Episcopus,
qui jam dudum in alia Provincia mo-
ratus est, ad Ecclesiam in Italia sitam
nominetur, tunc hoc examen subire
cogitur, nisi saltem Cardinalitia digni-
tate insignis sit: sola tamen hæc appro-
batio nondum sufficit, ut propterea Epi-
scopus esse censeatur; insuper enim fi-
dei professionem in manibus illius Car-
dinalis, quem a Papa nominatum appel-
lant *Proponentem*, emittere jubetur,
ac postea jurati audiuntur testes, qui

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

de præfenti Ecclesiæ novo Episcopo providendæ statu, necnon de genere, dotibus, vita, & promovendi moribus certum præbeant testimonium: hac autem inquisitione facta idem Cardinalis suo Auditori præcipit, ut desuper conficiat tabulas, Notarii, Cardinalis Vicarii, necnon Cameræ Auditoris chirographo, sigilloque muniendas. Eodem quoque tempore promovendus obtenti Doctoratus diploma, vel alias exhibet literas, uti sunt dimissoriales, & susceptorum Ordinum testimonia, seu, ut vocant, *formatæ*.

His peractis rursus alii excipiuntur testes, qui fidem facere jubentur, quod promotus ex legitimo toro natus sit, nec ejus parentes unquam de hæresi quacunque in suspensionem venerint, ipse vero trigessimum ætatis suæ annum a Concilii Tridentini decretis præscriptum attigerit: præterea in omnes Episcopatus reditus, eorumque conditiones inquiritur: demum Cardinalis proponens scripta hæc testimonia suo sigillo firmat, eaque ad tres Cardinales, qui inter sacros Ordines primum locum obtinent, remittit, ut deinceps apud eos semper asservata maneant. His factis in primo secreto Patrum Senatu hujus promovendi electio promulgatur, in proximo autem idem publice propo-

proponitur, habito sermone, in quo succincte de ejus vita, & moribus visa, & audita, atque ad tabulas relata recensentur: priusquam vero Cardinalis Proponens de Sede, ad quam ille nominandus est, mentionem facit, neoelectus Præsul Præfecto, quem ærarii pro sacro Collegio erecti receptorem vocant, duas literas, quibus duntaxat ipsius nomen subscriptum habetur, tradit, simulque promittit, quod omnia, quæ Cardinali, Cameræ Apostolicæ, aliisque Cancellariæ Ministris debentur, numerare velit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

Pridie autem, quam neoelectus proponitur, Cardinalis Proponens ad omnes reliquos hujus Congregationis Viros transcriptum rei gestæ exemplum mittit, ut & ipsi cuncta discutiant, simulque examinent, an nihil in hoc nominato reprehendendum deprehendatur; quinimo vix hic ceteris propositus est, cum illico idem Cardinalis primo ad summum Pontificem, & postea ad sacri Collegii Decanum conversus interrogat, an nulli, quod contra hunc nominatum objiciat, occurreret: si vero Decanus respondit, quod illius nominationem ratam habeat, tunc summus Pontifex huic electo Episcopatum dato diplomate concedit, cujus exemplum transcriptum ipse etiam Cardinalis Pro-

Bb 3

Can-

Sæcul. XVI.

A.C. 1593.

Cancellarius recipit: obtento igitur hoc diplomate Cardinalis Proponens in duabus illis schedis, quas nominatus subscripto suo nomine tradiderat, debiti summam inscribit, easque suo sigillo firmat: ejusmodi quoque Decretum, quod *contra-Schedulam* appellant, Cardinalis Pro - Cancellarius conficit, quo obtento demum Pontificæ literæ expediuntur. Ceterum Cardinalis Proponens, si Episcopatus reditus ad centum aureos ascendunt, quindecim aureos jure exigere potest: si vero ipsemet Pontifex proponit, tunc hoc jus ad Secretarios Apostolicos devolvitur: denique neo - assumptus Præsul ad suas ædes reversus, atque Episcopali habitu insignis, ac pileum viridi ora, ejusdemque coloris cingulo ornatum gestans summum Pontificem accedit, ad osculandos Sanctitatis suæ pedes per Palatii Magistrum introductus. Porro deinceps indutus incedit superpelliceo, quo ipse Pontifex illum induit, ac postea neo-electus Præsul præpemis sacri Collegii Decanum, ac denique ceteros omnes Cardinales salutatum procedit.

§. XCIII.

Tumultus Brunsvici, & Lipsiæ ob hæreticorum sedas excitati.

Interea

Interea tumultus Calvinistas inter, & Lutheranos continuato furore in Germania vigeant, unde non modo famosi libelli, qui injuriis, & convitiis ultro, citroque impactis foede scatebant, utrinque spargebantur, sed etiam pluribus in locis crudeles exercebantur violentiae, ac praepriis Universitatis Lipsiensis Scholares in eadem Urbe cujusdam civis aedes, quaesito obtentu, quod ad ipsum quidam Helvetii divertissent, depraedabantur, simulque in publico foro patibulum erigebant, ad quod praefatum civem suspendere decreverant, nisi prompta fuga vitae suae consulisset; unde Fridericus Guilielmus Saxoniae Praeses ex his seditiosis nonnullos castigare cogebatur, ut istorum exemplo ceteri a vi inferenda absterrerentur: nec minus paulo ante iisdem tumultibus Brunsvicensis civitas agitabatur; quippe in eadem urbe duo famosi Praecones secta Lutherani acriter in suis sermonibus invehebantur in novitates, (*) quibus juxta ipsos Calvinistae

Saecul. XVI.

A. C. 1593.

Tab. l. 105.

B b 4

(*) Perinde acsi Lutheranorum dogmata annosae quereus aetatem aequassent, & nonnisi paucos ante annos adhuc in suis cunabulis vagiens Calvini novitates praecessisset: hinc merito hi suis adversariis illud carmen accipere potuissent: *Vae tibi, vae nigrae dicebat cacabus ollae.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1593

vinistæ religionem depravarunt: hisce vero declamationibus ambo hi Ministelli tantopere populum concitabant, ut cum Leyserus, ex hisce Præconibus unus instante Administratore pro ordinanda illius Urbis Academia Wittembergam proficisceretur, seditiosi id astu ideo fieri interpretati, quatenus Calviniani per ejus absentiam facilius suæ perversæ doctrinæ virus spargerent, spreto Magistratu Michaelem Mascum, & Hieronymum Nevenium urbis Syndicos ob id suspectos armis sumptis ad pœnam poscerent, & nisi ambo urbe eicerentur, se nunquam arma posituros responderent: ut ergo pax redderetur, Concionatoribus injunctum, ut deinceps in suis sermonibus majori uterentur moderatione: qua ratione deinceps populus magis pacatus, minusque ferox esse cæperat. (*)

§. XCIV.

(*) Hæc Thuanus longe aliter refert, Lector autem benevolus facile suo judicio assequi poterit, cur Continuator plura omiserit, & alia depravarit: haud ergo inutile erit ipsa Thuani verba adducere. Administrator Ephoras, seu Superintendentes monet, ut curent, quatenus Concionatores populum in obsequio contineant, & in doctrinam improbatam invehiant, tanque ex ambone publice confutare satis habeant;

§. XCIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.*Anglici Senatus decretum adversus
Puritanos.*

Hoc anno Mense Februario Angliæ *Cambden in*
Senatus habito conventu non mo- *vita Elis.*
do

beant; ceterum personis parcant, quas ad pa-
storis officium, & charitatem christianam per-
tineat potius instrui, & ex errore in viam re-
duci, quam convitiis proscindi, unde invidia in
Magistratum, ac in ipsos odium redundet, in
publicum vero seditionibus causa præbeatur. Ad
hæc ephori subfrigide respondent, minime con-
sultum videri, ut pastoribus in concionibus ad-
versus Calvinianos præscribantur; sic enim ho-
minibus superbis animi fiunt, iique in errore
confirmantur; Auditorum autem odium magis
inflammatur; curabimus tamen, ut pastores of-
ficii, ac ministerii sui privatim admoneantur,
quo pax, & tranquillitas in Ecclesia. & re-
publica conservetur, nullaque seditionis causa
præbeatur, ceterum memor esset administrator,
quid ab initio, ac semper deinceps ipsis pollicitus
sit, nihil presbyteris Magistratus sui tempore
præscripturum. Cum igitur ab universis nihil
impetrare posset administrator, per Magistra-
tum singulos prensare cepit, & tenuit, ut in
posterum pastores in Concionibus sibi tempera-
rent, & plebs incensoribus destituta a priora
ferocitate mitesceret.

Bb 5

Sæcul XVI do Catholicos, sed etiam illos Prote-
A C. 1593. stantes, qui Puritani, vel Conformitæ
 appellabantur, acriter divexabat, eo-
 quod hi Anglicanum ritum suscipere
 renuerent: eapropter edito Senatus
 consulto pœnas statuebat in eos, qui
 Divino Officio per regni leges stabilito
 interesse recusarent: hac autem ratio-
 ne Henrici VIII. ævum, in quo nulli a
 Principis religione quovis pacto disce-
 dere licitum erat, quodammodo resuscitari
 videbatur, solo hoc discrimine,
 quod regnante Elisabetha transgressores
 mortis supplicio non punirentur,
 cum tamen hi sub Patris sui regimine
 crudeliter necarentur: nihilominus hoc
 idem Elisabethæ statutum leges Hen-
 ricus VIII. ætate sancitas severitate quo-
 dammodo superabat; hic enim Rex,
 quamvis ceteroquin humanum cruorem
 sine mentis anxietate fundere assuetus
 esset, satis tamen habuit, ut illos ple-
 teret, qui sectæ a se stabilitæ exterius
 sese opposuissent: ast novo hoc statuto
 Elisabetha subditos suos eo usque ob-
 stringebat, ut Anglicanam sectam pa-
 lam profiterentur.

Altera ex parte Elisabetha Purita-
 nis summopere infensa, illos detestaba-
 tur tanquam Viros, non modo opinio-
 num suarum pertinacia efferatos, sed
 etiam ad schisma, in Protestantium Ec-
 clesia

Sæcul.XVI.
A.C.1593.

clesia levissima ex caussa conflandum, paratissimos: ecquidem quamdiu horum hæresis in incerto fluctuare videbatur, Regina hosce sectarios non molestabat, verita, ne hi cum Catholicis communi studio jungerentur: quamprimum vero illos numero, & potentia crescere cernebat, illis, qui Episcopatus Ordinem admittebant, benignas aures præbuit, eoquod hi Puritanos abominarentur tanquam seditiosos, qui sua pertinacia regiminis auctoritatem funditus evertere molirentur: quapropter ab illo temporis momento Regina in eos sævire cæperat, quamvis hæc ipsa severitas sub posteriorum Regum regimine mala admodum horrenda produxerit.

§. XCV.

Elisabetha Henricum IV. a veræ fidei studio avertere molita.

Insuper Elisabetha adulterinum sectæ suæ studium usque ad Franciæ solium extendere præsumebat; vix enim Henricum ad fidem Catholicam reverti paratum compererat, quantocius ex suis Nobilibus quempiam ad illum ablegabat, qui Regem a suo proposito abstereret, irrito licet successu, quippe adventante hoc Deputato Rex jamjam hæresin suam ejuraverat: unde Regina se delusam ægerrime serens, sequentem

tem

Sæcul. XVI. tem epistolam ad Henricum perscribe-
 A.C. 1593. bat. „Ach Superi, quam vehementi
 „dolore, ac tristitia repletum est cor
 „meum, dum tanta mihi narrantur:
 „quæ demum est hominum fides! quæ
 „ve vivimus tempora! quis credere po-
 „tuisset, quod terrena felicitas te a ti-
 „more Dei avertere potuerit? num ex
 „tam nefando crimine prosperum exi-
 „tum sperare licet? ergone nondum
 „times, ne hic idem Deus, qui te sua
 „potentia hucusque conservavit, nunc
 „omnino destituat: enimvero innume-
 „ris plena res est periculis, si quis ma-
 „lum facere tentat, ut eveniant bona:
 „nihilominus spero, quod meliori spiritu
 „animatus saniora sequaris consilia:
 „interim ego te Dei patrocínio commen-
 „dare, ac divinam clementiam exorare
 „non desistam, ut rem eo disponat, ne ma-
 „nus Esau tibi præripiant benedictio-
 „nes Jacob: amicitiam vero tuam,
 „quam mihi tanquam fideli Sorori tuæ
 „offers, meo etiam, ac quidem maxi-
 „mo dispendio, promerita sum, uti
 „probe mihi constat, nec etiam me
 „sumptuum pœniteret, nisi Patris tui
 „animum exuisses, nunc vero ex Patre
 „tuo Soror esse haud amplius possum;
 „semper enim ille, a quo descendisti,
 „carior mihi erat Pater, quam is, qui
 „te adoptavit: hæc Deus scit, quem
 „imploro,

„imploro, ut te ad meliorem semitam
„reducatur. „

Sæcul XVI.
A.C.1593.

Huic epistolæ Elisabetha sese hoc modo subscribat: „Soror tua fidelis „juxta antiquum morem, novus enim „quid a me? *Elisabetha.* Verum insuper habitis hisce literis Elisabetha Meduni Mense Octobri cum Henrico fœdus utrinque firmatum, & subscriptum iniiit, quo inter ceteros articulos spondebat, quod non modo illius hostes repellere, sed etiam aggredi, nec unquam sancientiæ paci consentire vellet, nisi prius eadem mutuo tam ipsius, quam Henrici consensu firmata esset.

§. XCVI.

Conventum Meduntæ celebrandi facultas Protestantibus a Rege concessa.

Attamen non modo hæc Regina Henrici Regis conversionem ægre ferebat, sed insuper Franciæ Calvinistæ suis querelis hunc Regem diu, noctuque tantopere fatigabant, ut ad excipiendas illorum querelas in Meduntina Urbe conventum habendi licentiam dare cogeretur. eo fine, quatenus desuper Regis responsum percipere possent. Ergo Provinciarum Deputati jam Mense Novembri eo conveniunt, Rex tamen nonnisi duodecima Decembris illuc delatus,

Soulter hist. de Calv. l.7. pag. 240. Et suiv.

Sæcul. XVI. latus, eadem adhuc die Protestantium
 A.C. 1593. Deputatis hæc significabat: „vos eo
 „sine accersivi, ut fidem vobis facerem,
 „quod mutata Religione nequaquam
 „mentem vobis hucusque bene affectam
 „exuerim, porro fœderatorum Duces
 „cum animum ad pacem propensum ex-
 „hiberent, convocari jussi, ut nihil in
 „eorum præjudicium decerni valeat:
 „cum autem inter vos non pauci repe-
 „riantur, qui de me queruntur, hinc
 „vos audire haud inconsultum erit, ut
 „omnibus satis fiat., Postea Rex scrip-
 ptum illorum libellum recipiens eis-
 dem permisit, ut ex suis quosdam no-
 minarent Deputatos, qui cum Viris
 ex Regis Senatu seligendis confer-
 rent.

§. XCVII.

*Protestantium postulata, & Henrici
 IV. responsa eis parum
 propitia.*

Soulier.

pag. 241.

*Proces verb.
 des Assembli.
 politiq. t. 1.*

Paucis post diebus in Cancellarii ædi-
 bus Vernonii primum habebatur
 colloquium, ubi Forgetus sanctioris te-
 natus Minister libellum recitabat, in
 quo Calvinistæ petebant, ut ipsis non
 modo in omnibus urbibus, regnique lo-
 cis, sed etiam in ipsa Aula sine ulla li-
 mitatione plene suam sectam palam pro-
 fitendi libertas concederetur. Ergo hac
 super

super re plures habentur consultatio- **Sæcul. XVI.**
 nes, quibus absolutis die vigesi- **A. C. 1593.**
 gelima septima Decembris interim hæc
 duntaxat decernebantur. I. Rex per
 literas omnibus Curiis superioribus præ-
 cipiet, ut novum Pictaviense edictum
 ad acta referant. unacum articulis, qui
 in Neracensi, & Flexiensi colloquio sub
 Henrici III. regimine unanimi consensu
 fuere stabiliti. II. Petita hanc sectam
 profitendi libertas ulterius indulta sit
 in omnibus illis locis, & urbibus, quas
 Protestantes a principio tumultuum per
 foederatos suscitatorum usque ad indu-
 cias a defuncto Rege in Turonensi urbe
 pactas suis armis subjecerunt. III. Ve-
 ram Religionem Catholicam profitendi
 libertas restituatur in omnibus illis lo-
 cis, ubi ea per hæreticorum violentiam
 fuit violata.

Enimvero sperandi locus erat, quod
 hæc statuta Protestantibus oppido grata
 forent, nihilominus desuper questi in-
 eunte anno sequenti millesimo quingen-
 tesimo nonagesimo quarto Regi alterum
 libellum in plures articulos divisum ex-
 hibebant, ubi hæc proponere non du-
 bitabant, „etsi Pictaviense edictum, nec
 „non Neracenses, & Flexienses articuli
 „in usum deducantur, propterea tamen
 „nequaquam in officio continebimur,
 „nec hæc indulgentia ad restaurandam
 „pacem

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

„pacem sufficiens est, quinimo exinde
„magis, quam unquam omnium nostræ
„religioni addictorum animi exaspera-
„buntur, dum hæc Regis jussu execu-
„tioni dari videbimus, semper enim li-
„vido oculo aspiciemus, quod Religio-
„nem Catholicam profitendi libertas
„in illis locis, ubi interrupta fuit, re-
„stituetur, nostræ autem reformatio-
„nis exercitium ad Pictaviensis edifici
„limites restringatur: præterea peti-
„mus, ut nostri Ministelli ex Ecclesiasti-
„corum redditibus alantur, prout a de-
„functo Rege in Delphinatu jamjam
„concessum fuit. „ Equidem Rex die
vigesima prima Januarii ad hæc petita
respondit, firmiter tamen Pictaviense
edictum effectui dari voluit, quomodo
autem ministrorum sustentationi prospici-
ceretur, ad aliud tempus differendum
edixit. Hoc responso Protestantes ve-
hementer commoti recesserunt, & abs
dubio suam indignationem apertius de-
monstrassent, nisi Plessius Mornajus, ali-
que Proceres Calvinistæ Regi additi
ad ipsos placandos suam operam im-
pendissent.

§. XCVIII.

Joannis Lens, seu Lensæi obitus.

Dupin Bibl.
des Auth.
du Siecl.
XVI p. 4.

Pro more nostro hujus anni eventus,
atque historiam concludimus, refe-
rendo

Sæcul. XVI
A. C. 1593

cam adversus impium usurpatorem defendit, nec minus edidit Confutationem scripti Antverpiæ divulgati contra Joannem Austriacum Belgii Gubernatorem, in quo libello conscientiae libertas postulabatur: insuper elucubavit declarationem Facultatis Theologicæ Lovaniensis circa articulos Michaelis Baji per Pii V. Constitutionem damnatos, ac unacum ceteris anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo octavo ejusdem Lovaniensis Facultatis censuram elaboravit contra Jesuitas circa doctrinam de Gratia. Ceterum potissimi ex ejusdem libris ab anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo usque ad annum Salutis nostræ millesimum quingentesimum octogesimo octavum per varia tempora Coloniz, Lovanii, & Antverpiæ typis editi fuere, excepto illius tractatu de fide, spe, & charitate, qui non nisi anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo nono prodit cura Joannis Clarii, cui Lensæus omnia sua opuscula nondum typis vulgata reliquerat.

§. XCIX.

Tilemani Bredenbachii mors.

Aub. l.c.
pag. 48.
Val. Andre
Bibl. Belg.

Ad eundem annum refertur obitus Tilemani Bredenbachii, qui circa res ecclesie

Sæcul. XVI.
A.C. 1593.

ecclesiasticas quædam opuscula ad posteros transmisit. Erat is Filius Matthiæ Bredenbachii, qui Campidonii in Bergensi Ducatu natus, postea in Emericiano Collegio Cliviensis ditionis Rector evasit, ubi stylo admodum fluido, & eleganti, atque ad Lectoris institutionem, ciendamque pietatem idoneo adversus Protestantes varios conscripsit tractatus, nec minus ejus Filius nomine Tilemanus literis in variis scholis apprime imbutus Romam venit, ubi Martino Eisengremio Alberti V. Bavarix Ducis Oratori, Viro satis erudito amicitia junctus est: postea vero Antverpiensis, ac demum Bonnensis Canonicus, Colonix, qua in urbe pariter Canonicatum obtinuerat, sedem fixit, ibidemque cum ingenti morum probitate vitæ suæ dies transigens existimationem, quam ejus Pater suis scriptis sibi comparaverat, & ipse lucubrationibus suis pro fidei Catholicæ defensione contra Novatores editis propagavit, atque inter cetera præcipue hæc reliquit opuscula: I. Indicavit modum, quo hæreses extirpari possent. II. Edidit octo libros sacrarum Collationum, quas ad normam Collationum, a Joanne Moscho, & Cassiano conscriptarum, adornabat. III. Vulgavit sermonem de Purgatorio. IV. Concinnavit Historiam

Sæcul. XVI. riam de Livonum bello, ad quod opus
 A C 1594. Philippus Olmenus Tilemano argumen-
 ta suppeditabat.

§. C.

*Nivernius Dux quarta vice ad Pon-
 tificis alloquium admissus.*

Tuan. hist. Interea Nivernius Dux Romæ Papam
lib. 108. sollicitare non desistebat, ut tandem
 Franciæ Rex in gratiam reciperetur,
 unde etiam die secunda Januarii anno
 restauratæ salutis millesimo quingentesimo
 nonagesimo quarto jam quarta
 vice ad alloquium admissus coram Pon-
 tifice mentionem fecit de literis, quas
 Cliella deferendas suscepit, ac Sancti-
 tati suæ unacum aliis scriptis exhibuit:
 ad hæc igitur responsum scripto dari pe-
 titiit Nivernius: id autem renuit Ponti-
 fex, hæc caussatus: „haud in more po-
 „situm est, ut res cum Oratoribus per
 „scripturas agantur, Regi autem in-
 „tegrum est, illos Theologos, qui ejus
 „latera obsident, in consilium vocare:
 „de cetero haud alia, quæ proponam
 „occurrunt., Ad hæc Dux repetitis præ-
 cibus, an præsentem Rege rem Divinam
 peragere liceret, sciscitabatur, & Papam
 rogabat, ut Episcopis a Rege nomina-
 tis literas Apostolicas concedere velit:
 insuper Dux haud obscure insinuabat,
 quod tunc, si Pontifex id recusaret,
 facili

facili negotio Pragmatica sanctio restau- Sæcul. XVI.
 rari, & concordatum aboleri posset, cum A.C. 1594.
 id ipsum non sine maximis difficultati-
 bus, quæ adhucdum obversarentur, re-
 ceptum fuisset: nihilominus Papa nil
 inde territus respondit, quod Bullas con-
 cedere nequiret Episcopis, ab ejus-
 modi Rege nominatis, quem ipse agno-
 scere non posset.

§. CI.

*Postremum colloquium, ac Ducis dis-
 scessus Venetias versus.*

Accepto hoc responso Dux recedere Thuan. l. c.
 coactus quinto post die a Cardinale Avil. l. 14.
 Toletio salutabatur, quocum acrius de Mem. dx
 Pontificis pertinacia colloquebatur, act. 1. Son
 eidem significare haud reformidabat, Discours sur
 quod ex Papæ repulsa in Galliis schis- Ja Legat.
 ma, non minus funestum, quam est illud
 in Germania, oriturum esset: cum au-
 tem Cardinalis Toletus agendi ratio-
 nem, quam Pontifex tenuerat, excu-
 sare niteretur, Dux postremo ad Pon-
 tificis alloquium admitti petiit, ut ab-
 eundi facultatem ab eo postulare posset.
 In hoc colloquio Dux expositis quibus-
 dam querendi causis tandem Papam
 ita alloquebatur: „His insuper addam,
 „quod Sanctitas vestra Pisano Marchio-
 „ni per integrum annum alloquii copiam
 „denegarit, etsi is tot Regiæ stirpis Prin-
 „cipum,

Cc 3

Sæcul. XVI.
A C. 1594.

„cipum, Procerum, & Præfulum Regi
 „adhærentium nomine Sanctitatis ve-
 „stræ pedes osculaturus, eique debita
 „submissionis, atque obedientiæ testimo-
 „nium allaturus advenerit, nilque aliud
 „desideraverit, nisi ut Sanctitas vestra
 „eidem viam sterneret, per quam ma-
 „gis expedita redderetur Regis nostri
 „conversio, quæ tum vix non proxima
 „erat: porro id si Sanctitas vestra fe-
 „cisset, omni jure verus, ac communis
 „Gallici Regni Pater vocari meruisset:
 „verum non modo præfatus Marchio
 „tanto tempore exceptus non fuit, sed
 „etiam eidem Lotharingiæ fines attin-
 „genti injunctum, ut e ditionis eccle-
 „siasticæ finibus excederet, perinde
 „ac si sacræ Sedis inimicus, non autem
 „Vir honestate plenus, ac Orthodoxæ
 „fidei addictissimus fuisset, qualem se
 „tamen in omnibus suis legationibus
 „exhibuit.,

His præmissis Dux plurimum exag-
 gerabat generosum Sixti V. animum,
 qui Lucemburgium Ducem tam hono-
 rifice excepit: insuper commendabat
 Gregorium XIV., qui Moscoviticis Le-
 gatos eadem benignitate, & honore
 exceperat, licet a Principe sectario, &
 schismatico missos, & in eorum gratiam
 ad Poloniæ Regem prolixè scripsit,
 quamquam nullam reconciliationis cum
 Eccle-

Ecclesia Catholica, & sancta Sede Sæcul. XVI.
A C. 1594.
 spem facerent.

Horum exempla conferebat Dux cum agendi ratione, quam Clemens VIII. erga eum tenuisset: præterea in has prorupit querelas: „Mihi interdium fuit colloquium cum Cardinalibus, ac ipsemet a Fratribus Minimis, qui Natione Galli sunt, aut esse debent, cum natalitia festa apud eos celebrare vellem, cœnobii ingressu sui prohibitus: ceterum Sanctitatem vestram rogo, ne Cardinali Placentino utpote mihi male affecto fidem adhibeat, eoquod is plurimas calumnias Romam de me scripserit, ac feruentibus hisce tumultibus potius sese factionis ducem, quam Sanctitatis vestræ, communisque Fidelium Patris Legatum exhibuerit: quod autem res ita se habuerit, documento est id, quod in Parisiensibus comitiis partes suas, & auctoritatem suæ Sanctitatis interposuerit, ut Guisii Ducis electionem promoveret., Ad hæc Pontifex reposuit: „vix credere possum, quod Placentinus id attentaverit, cum nullum omnino ejusmodi mandatum a me receperit., Tandem Dux Papam obsecrabat, & obtestabatur, ut se per mala Franciæ impendentia flecti sineret, ac Regem in gratiam reciperet,

Sæcul. XVI
A. C. 1594.

cum id citra summam Regis injuriam, certamque perniciem ad omnes redundaturam denegare haud posset.

§. CII.

Nivernii Ducis declaratio ad Papam transmissa.

Thuan. l. c.
Mem. l. c.

Attamen Clemente flecti nescio Dux Carolum Retelensem Ducem Filium suum, ceterosque e comitatu suo Nobiles ad pedum osculum introduxit, Papamque valere iussit. Finito hoc colloquio Dux ad ædes suas reversus, totius legationis acta dietim prolixè descripta ad Papam misit, præterea mentem suam hisce verbis privato suo, non Regis nomine declaravit, inquit: „Pontifex calamitatum, quæ ob eam re- „pulsam in Francia sequentur, causa „existet; nam fiet, ut re in Galliis intel- „lecta ad funestum bellum animi nunc „in speciem moderatiores magis, quam „antea, inflammentur, isque illius exitus sit, ut soluta Ecclesiæ disciplina, „sacro patrimonio licentiose usurpato, „& dilapidato, templa destruantur, ecclesia „nobis sine pastore deserantur, passim „in agro divinus cultus, & publica se- „curitas aboleatur, ac per impietates „& crudelitates Catholica Religio sor- „descat, sectarium econtra malum au- „gescat, legum amor, magistratum „aucto-

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

„auctoritas vilescat, ac tandem ipsius
 „Pontificis nomen antea cunctis piis
 „venerabile, postremo odiosum, & in-
 „visum reddatur: tum vero Pontifex
 „periculo suo cognoscet, quam impru-
 „denter pravis, ac violentis Montorii,
 „& Placentini Cardinalis consiliis au-
 „sultaverit: insuper brevi comperiet,
 „quod omnes Franciæ Nobiles sese a
 „Sedis Apostolicæ obsequio separaturi
 „sint, exinde autem ipsemet accerset sibi
 „invidiam foederatorum, qui eorum,
 „quæ in ipsorum gratiam fecit, nullam
 „rationem habituri sunt.„ His dictis
 Dux se paratum exhibebat ad filium
 suum tanquam obsidem Romæ relin-
 quendum, ut exinde Sanctitati suæ te-
 statum fieret, quod cuncta, quæ scripto
 hacin re significare voluerit, sedulo exe-
 cutioni danda forent: attamen Ponti-
 fice nil de sua firmitate remittente Dux
 post factam hanc declarationem ob si-
 nistrum legationis suæ successum mœ-
 rore confectus per Florentiam, & Fer-
 rariam itinere facto, Venetias perrexit,
 ubique honorificentissime exceptus.

§. CIII.

*Cenomanensis Episcopi scriptum in fa-
 vorem Gallorum Præsulum
 divulgatum.*

Cc 5

Pariter

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

*Tuan. &
 Avll. l. c.*

Pariter Claudius de Angennes Cenomanensis Episcopus, qui Ducem comitabatur, priusquam ex Italia discedebat, scriptum quoddam elucubravit, illudque sedulo divulgandum curans, omnia, quæ ad Regem reconciliandum a Galliarum Episcopis facta fuerant, salva Sedis Apostolicæ auctoritate fuisse perpetrata ostendebat, expositisque rationibus, ob quas ad absolutionem Regi impertiendam impulsi essent, præcipue urgebat, quod omnes, qui a Communionem Ecclesiæ quacunque de causa etiam Sedi Apostolicæ reservata, sejuncti sunt, si legitimo impedimento prohibeantur, quo minus Pontificem adire queant, tunc absolvi possint ab alio, cautione adhibita, ut, cessante impedimento, ad B. Petri limina accedant: hanc vero rationem etiam locum habuisse demonstrabat in Henrico Rege, qui ob rerum suarum necessitatem semper armatus in Regno suo hæerere cogebatur, atque aliunde continuo expostus erat insidiis, quas ei hostes sui struebant, ac ipse eorum laqueos declinaturus non modo vigilem semper oculum habere, sed etiam præsens in Regno esse compellebatur: hanc ergo rationem ad absolutionem ab Episcopis recipiendam sufficere, Cenomanensis plurimis testimoniis, quæ ex celebrioribus Canonum

Docto-

Doctoribus petebat, comprobatum red-^{Sæcul. XVI.}
didit, ac inde conclusit, quod Fran-^{A.C. 1594.}
ciæ Præsules Regem jure a censuris sol-
vere potuerint, cautione, & conditio-
ne adhibita, quod summo Pontifici post-
ea debitam hac in re submissionem, ejus-
que imperio parendi voluntatem testa-
turi essent, quam etiam hodie dum ex
intimo cordis sui affectu eidem exhibere
parati forent.

§. CIV.

*Fœderatorum Deputati Romam ve-
nientes.*

Cum interea hæc Papam inter, & ^{Thuan. 89}
Nivernium Ducem gererentur, Ma-^{Avil. l. c.}
duani Ducis Oratores Romam veniunt, ^{Coyet. t. 3.}
sique erant Claudius Bellofremontius
Senescæus, & Nicolaus Pila Orbafius
Abbas, quos Joyosa Cardinalis Fœde-
ratorum Deputatus comitabatur. Hi
ergo die vigesima octava Januarii ad
Pontificis alloquium admissi omnia
hucusque gesta exponebant, atque eo-
rum infaustum successum adscribebant
politicis Hispanorum consiliis, necnon
cunctationi, qua hi tam militum, quam
auri suppetias liberaliter promissas trans-
mittere cunctabantur, vanaque spe Ja-
ninum Præsidem lactabant: his præ-
missis Deputati summum Pontificem ro-
gabant, ut considerato deplorando Re-
ligionis,

Sæcul. XVI. Religionis, Regnique statu, saltem Regis
A. C. 1594. Catholici mentem hac super re certo
 explorare velit: insuper Papam horra-
 bantur, ut Prædecessorum suorum stu-
 dium imitatus Religionem ab imminente
 discrimine præservaret, ac præsentibus
 fœderatorum necessitatibus prospiceret,
 erogatis tam militum, quam pecunia-
 rum suppetiis, cum illæ diu speratæ op-
 portuno tempore hucusque non adve-
 nissent, aliunde vero sparsus de Regis
 conversione rumor populos belli diutur-
 nitate fessos terreret, jamque plures
 urbes a fœderatorum partibus deficere
 paratæ essent: eapropter hos cum hoste
 aliquot mensium inducias pacifici co-
 actos dicebant, ut hujus moræ oppor-
 tunitate in rem suam versa interim ad
 summum Pontificem, ac Hispaniæ Re-
 gem suos Oratores decernere, atque
 ab eis, quid consilii caperent, perci-
 pere possent.

§. CV.

Papæ responsum ad hosce Deputatos.

*Thuan. 83
Av. l. c.*

Enimvero Pontifex Joyosam Cardina-
 lem, qui ceterorum nomine verba
 faciebat, benigne excipiebat, ac Ma-
 duani Ducis studium, & prudentiam
 sibi probari testatus, quæ hucusque in-
 ter se, & Nivernium Ducem agitata fuisset,
 Deputatis narrabat, ut vero ad
 horum

XXX.

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

horum petita responderet, hæc sub-
 junxit: „gratum mihi accidit, quod
 „de Hispani Regis voluntate certior
 „factus sim, de mea autem erga vos
 „certi sitis; nil enim aliud ardentius ex-
 „opto, nisi Religionem, fœdusque tueri,
 „quamvis nec militum, nec argenti sup-
 „petias promittere valeam ob Turca-
 „rum bellum in Hungaria exortum, ad
 „quod pro conservanda Christiana Re-
 „publica præcipuas meas vires impen-
 „dere obstringor: nihilominus omnem,
 „quam in Franciæ levamen impendere
 „potero, opem conferre non desistam.,
 Verum ex hoc Pontificis responso De-
 putati facili negotio intelligebant, quod
 Papa expensarum molem superfugiens
 fœderatis auxilia suppeditare renueret,
 cum aliunde valde remissum erga eos
 animum ostendere videretur: hinc da-
 tis literis Maduanum Ducem mone-
 bant, eique significabant, se haud ob-
 scure colligere, quod Papa, licet flecti
 nescius videri velit, Nivernii tamen Du-
 cis objurgatione commotus abs dubio
 Regi paulopost favorem suum impen-
 surus sit: se vero eo magis in hac opi-
 nione firmari dicebant, eo quod Niver-
 nio Duce minitante, quod deinceps
 nullus alius Orator nomine Regis Ro-
 mam mittendus foret, quantocius Papa
 Gondium Cardinalem Romam venire
 jussit

Regis
 e certo
 hortat
 am stu-
 nimenti
 entibus
 diceret,
 ecunia-
 tæ op-
 adve-
 Regis
 diutur-
 plures
 leficere
 n holte
 ifci co-
 oppor-
 rim ad
 niæ Re-
 atque
 perci-
 utatos.
 ardina-
 e verba
 ac Ma-
 entiam
 que in-
 ata fuis-
 ero ad
 horum

Sæcul XVI. jussisset, hicque jam duobus abhinc
 A.C. 1594. mensibus Recinnate ulteriora Pontificis
 jussa præstolaretur.

§. CVI.

Henricus Rex Carnuti inauguratus.

*Thuan. &
 Avil. l. c.*

His interea ultro, citroque agitatis
 plures Franciæ Urbes in legitimi
 sui Principis obsequium revertebantur,
 inter quas ceteris exemplo prælucebant
 Meldenses, Acquenses, Lugdunenses,
 Aurelianenses, & Bituricenses, præ-
 terea Henricus IV. plures alias civita-
 tes ad sua alliciebat studia partim boni-
 tate, ubique exhibita, partim edicto,
 quod in Turonensi Senatu die prima
 Februarii habito ad acta referri jussit,
 in quo omnium præteritorum veniam
 pollicitus fuit fide etiam facta illis, qui
 ad officium reversuri sunt, bona, digni-
 tatesque restitutum iri. Tandem etiam
 Henricus IV. de sua inauguratione a-
 gere cæperat: cum autem hæc Rhemis
 celebrari non posset, eoquod hæc Urbs
 adhucdum hostium potestati subjecta
 esset, proin sacri olei ampulla, quæ
 ibidem asservabatur, haberi nequiret,
 hinc Carnutensis Urbs ad hanc solemni-
 tatem seligebatur, atque e Turonensi
 Urbe sacram Ampullam afferri placuit;
 asservatur autem in illa oleum, quo
 Beato Martino per scalas forte prolapso,
 cum

tum exanimis jaceret in cellula, Angelum nocte tanquam salutari unquento vulnera eluisse, & contusi corporis partes superlinisse, referunt historici, porro idipsum hodie in majoris Monasterii thesauro religiose custoditur. Ergo Oleum illud ab illius Conventus Religiosis post solemnes supplicationes in quodam curru accensis facibus adornato advehitur, sequentibus Equitum centuriis, quas Ægidius Soureus Turonensis Gubernator ducebat: Henrico autem die vigesima septima Februarii Carnutum adventante, hæc solemnitas a Nicolao Thuano præfatæ Urbis Episcopo eadem adhuc die peragebatur.

Inaugurationi intererant duodecim Franciæ Patritii, seu, ut vocant, Pares, & quidem ex Ecclesiasticis Carnutensis, Nannetensis, Diniensis, Maleacensis, seu hodie Rupellensis, Aurelianensis, & Andegavensis Episcopi, qui vices obibant Rhemensis, Lingonensis, Laudonensis, Bellovacensis Noviodunensis, & Catalaunensis Præsulum: porro ex Paribus Laicis Contius Princeps Borbonii Ducis, Sueffionensis Comes Aquitani Ducis, Montpensierius Normanni, Lucemburgicus Dux Flandriæ Comitibus, Radefiarum Dux Tolosani Comitibus, & Ventadurii Dux Campaniæ Comitibus nomine sedem Parium

Sæcul. XVI.
A. C. 1594.

Sæcul. XVI. rium occupabant. Tum Bituricensis
 A.C. 1594. Archiepiscopus supremi Sacellani officio
 fungebatur, Matignonius vero Marefcallus Equitum Magistrum, & Longevillanus Dux supremum Cubicularium agebat, sancti vero Pauli Comes Regii Palatii Magistrum præsentabat, iisque proximus Cevernii Comes Franciæ Cancellarius dextera sigillum tenens ac purpurea veste amictus aderat unacum pluribus aliis Ministris suo ordine adstantibus. Postea Rex promore in ejusmodi solemnitate usitato rei divinæ intererat, sacramque Eucharistiam sub utraque specie sumebat, necnon jurejurando, uti solitum est, præstito pollicebatur, quod Religionem Catholicam, sanctæque Ecclesiæ auctoritatem tueri velit: insuper plusquam trecentos infirmos manu sua tangebat, sumptoque prandio vespertinis laudibus interfuit, necnon a Carnuteensi Episcopo Ordinis sancti Spiritus a suo Prædecessore instituti insignia recepit.

§. CVII.

De redigenda Parisina Urbe aditum.

Peracta hac solemnitate Rex Parisinam urbem sibi subjicere parabat, ad cuius deditionem ipsemet Maduanus, invitus licet, eidem viam sternebat: postquam enim Belinum Comitem urbis Guber-

Sæcul. XVI.
A. C. 1594.

Gubernatorem utpote sibi suspectum officio suo exuerat, eidem Brissacum Comitem subrogabat, cumque se ad alias expeditiones pro fœderatorum salute magis necessarium fore crederet, Parisina urbe excessit, illius curam novo huic Gubernatori impense commendans. Verum eo absente Brissacus, cum Maduani Ducis factio indies decresceret, atque in Regis obsequio majus commodum, securitatemque reponi cernebat, clam ex primoribus civibus plures in urbe agentes sibi devinxit, illisque persuasit, ut sibi ad portas Henrico IV. aperiendas suam operam jungerent. Re ita disposita Brissacus ad Regem, qui tum Sylvanecti morabatur, Franciscum Espinacium ablegat, cujus opera Rex in sequentes articulos consenserat.

§. CVIII.

Secreti tradendæ Urbis Parisinæ articuli.

I. Parisiis, necnon in ejus suburbiis, aliisque in locis intra decem leucarum ambitum contentis solam religionem Catholicam profitendi libertas juxta Henrici III. defuncti Regis decreta concedatur. II. Rex omnium præteritorum veniam cunctis indulgeat, exceptis duntaxat iis, qui vel in ejus, vel Prædecessoris sui vitam insidias struxerunt.

Hist. Eccles. Tom. LI. Dd

Avila 3. 14.

*107. 1477
1. 1. 1477*

Sæcul. XVI.
A.C. 1594 xerunt. III. Civibus, atque incolis
salva, & integra permaneant eorum
bona, vita, & privilegia. IV. Omnes
illi, qui a Maduano Duce quibusdam
officiis, dignitatibus, vel beneficiis
aucti fuerunt, ea retinere valeant, nisi
saltem a Rege ad alia officia adhibean-
tur. V. Omnibus illis, qui haud ultra
in urbe permanere voluerint, ad alia
loca emigrare, suaque bona secum de-
ferre integrum sit. VI. Legatus, &
Pelleveus Cardinalis æque, ac ceteri
Præfules, eorumque Domestici unacum
sua suppellectili ex urbe excedendi, vel
si maluerint, ibidem permanendi ple-
nam habeant libertatem. VII. Pari-
ter etiam Hispaniæ Ministris impune
urbem relinquere liceat, eisque publicæ
securitatis literæ, ac comæatus diplo-
mata consignentur. IX. Iphis quoque
integrum sit, secum extera, & Gallica
præsidia educere, ea lege, ut illis mi-
litares honores omnino deferantur.
Porro postremo hoc articulo Brissacus
Comes privato suo commodo propi-
ciebat.

§. CIX.

*Mandata ad ingressum Regi aperien-
dum a Brissaco data*

Thu. . 109. **R**ege cunctis hisce articulis annuente
Avil. l. c. Brissacus ad tubæ sonitum procla-
mari

mari iussit, prohibens, ne ulli conven-
 tus extra Urbis Prætorium haberentur:
 si vero ibidem convenire oporteret, tunc
 præter Magistratus, qui interesse tenen-
 tur, haud plures, quam quinque ho-
 mines coirent, mortis pœna, bonorum-
 que proscriptione constituta in eos, qui
 præfixo numero plures eo convenisse
 deprehenderentur. Postea cum rumor
 per urbem volaret, quod Maduanus
 Dux milites, bellicque apparatus in
 Parisinæ Urbis opem submissurus foret,
 atque illis obviam procedere necessa-
 rium esset; hinc Brissacus copias, qua-
 rum fidem sibi suspectam habebat, Bel-
 lovacum versus emittebat, perinde ac si
 Maduani suppetiæ ea ex parte adven-
 turæ essent: insuper Alexandrum Mon-
 tanum Neapolitani agminis Tribunum
 trans flumen collocabat, eo usus ob-
 tentu, quod eo annonam advehi spe-
 raret: porro ad vesperam diei vigesimæ
 primæ Martii Gubernator ad ædes Præ-
 fecti Mercatorum convocabat regio-
 num Præfectos, & ex Magistratibus
 præcipuos, quibus suum propositum,
 necnon pacta cum Rege inita manifesta-
 bat, præcipue conditiones circa Reli-
 gionis securitatem, & præteritorum
 criminum oblivionem sancitas: insuper
 eisdem exponebat necessitatem, ad
 quam ipsi redacti sunt, ut tandem firma,

Sæcul. XVI.

A.C. 1594.

Mem. de la

Lig. p. 63.

Mem. de

Avil. p. 195.

D d 2

ac

Sæcul. XVI.
A. C. 1594.

ac proficua pace belli calamitates redimere quærent: cum ergo omnes ejus consilia sequi parati essent, illos rem sincero animo aggredi rogabat, præcipue vero tam provide prospicere, ut absque tumultu, & confusione Rex in urbem recipi posset. Cunctis igitur omnia approbantibus, Mercatorum Præfectus unacum Langlæo Ædile mandata, ad sibi fidos regionum Præfectos mittenda sigillo muniebat, eosque certiores reddebat, quod conclusa pace altera die pacta utrinque firmanda essent, proin ipsi omni tumultui præcaverent, fidisque civibus injungerent, ut ad omne imperium ad arma parati forent, hacque ratione eos, qui sese paci opponere vellent, in officio continere valerent. Hisce mandatis summo silentio datis Brissacus summo mane ad portam novam contendit, caussatus, quod illam muro obstruere oporteret, ut hac ex parte nulla molestia inferri posset. Sub idem quoque tempus Mercatorum Præfectus ad portam sancti Dionysii pergens, ad illius custodiam Langlæum Ædilem designabat, ipse vero sese Brissaco juncturus ad portam novam reversus est.

§. CX.

Sæcul. XVI
A C. 1594.

Sanlucius Portæ novæ appropinquans, atque admissus.

Hora quinta matutino tempore Sanlucius cum primo regii exercitus agmine, quod præcedentis diei vespere Sandionysiopolin venerat, prope Tuilliarum hortum extra urbem comparuit, ibique tres ignitos globulos in aera evibrari jussit, hoc enim erat prædictum adventus sui signum, ubi Brissacus unacum face accensa illi colloquebatur, mox vero in urbem redux ad Mercatorum Præfectum accessit: postea autem ambo integram aperiunt portam, & Sanlucius copiis suis progredi jussis primus sclopetum dextera tenens Urbem cum suo agmine ingressus est, hinc inde centum delectis militibus juxta portam dispositis, quam Fabato Tribuno custodiendam commisit: ipse vero cum suorum quadringentis usque ad Crucis, ut vocant, quadri- vium penetrabat, cum interim aliud exercitus regii agmen sancti Michaelis pontem occuparet, ac Dous sancti Honorii portam sibi subjiceret.

Thuan. &
Avil. l. c.

§. CXI.

Rex Parisios ingressus, & cum ingenti lætitia exceptus.

Dd 3

Postea

Sæcul XVI.
A C 1594.

Thuan. 85
Avil. l. c.
Mem. l. c.

Postea Matignonius Marefcallus, qui Helvetios ducebat, per totam sancti Honorii plateam copias suas continuato ordine distribuebat; rebus itaque cunctis adeo prospere dispositis Rex comparere haud tergiversabatur, atque armatus incedens, regiisque satellitibus cinctus, comitantibus eum quadringentis Nobilibus urbem ingreditur, ac Briffaco Comite eidem obviam procedente Henricus albam suam fasciam detrahens eandem ejusdem Briffaci collo innexuit, illum tenero prorsus affectu amplexatus, ubi dein Mercatorum Præfecto, atque Ædilibus urbis claves Regi tradentibus per totam urbem nonnulli festivi lætitiæ clamores resonabant; mox vero Rex ingenti populi multitudine stipatus ad Beatæ Virginis Templum processit, ibidemque rei divinæ interfuit,

§. CXII.

Cardinalis Legatus nequidem Rege conspecto discedens.

Avil. l. 14.
Daniel hist.
de France
t. 7. p. 224.
Mem. de
l'Etoile t. 2.
pag. 205.

Postea Rex e Templo egressus Luparam contendit, atque in itinere adhucdum constitutus Perronium non ita pridem Roma reversum ad Cardinalem Legatum decernit, ut eidem Regis nomine significaret, quod vel Parisiis morari, vel Romam repetere, eidem integrum

tegrum foret, de cetero autem illum Rex rogaret, ne urbe excederet, quin prius cum ipso conferre, ac colloqui possit, cum eidem fidem faceret, quod cum ampliori honore, ac satisfactione, quam vel unquam a fœderatis recepisset, a Rege excipiendus foret. Verum hic Cardinalis Regem salutatum ire recusabat, respondens, quod concessa plena libertate non modo e Parisina urbe, sed toto Franciæ Regno excessurus esset: quinimo etiam sexta post die Lutetia discessit, eumque Perronius Montargium usque comitatus est, inde vero Cardinalis iter Italiam versus arripuit, atque annuente Rege secum Christophorum Aubrium sancti Andreæ de Arcubus Parochum, & Patrem Varadam eduxit: quinimo etiam Sylvanectensis Episcopus, Bucherus sancti Benedicti Parochus, præter sancti Jacobi ad macellam, sancti Germani Antissiodorensis, & sancti Cosmæ Parochos, adhuc plures alii sancto fœderi addictissimi e Parisina urbe excefferunt unacum Hispanis copiis, quas Rex emigrare conspexerat, cum hanc ob rem ad sancti Martini portam accessisset.

§. CXIII.

Pellevei Cardinalis obitus.

Dd 4

Eo

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

Sæcul. XVI
A.C. 1594.

*Mem. de
l'Etoil. t. 2.
pag. 204.
Ciac. tom. 3.
pag. 1041.
Aubery hist.
des Card.*

Eo tempore, quo Rex Parisinam urbem ingrediebatur, Pelleveus Cardinalis constanti studio foederatis propensus in Senonensi diversorio infirma valetudine pressus hærebat, mox autem illius ædes Henricus milite cingi iussit, quamvis eidem per Sanlucium significari curaret, quod nil ipsi timendum, sed semper honorifice habendus foret: ast Cardinalis hanc Regis benevolentiam nequaquam grato animo recipiens, tanta indignatione corripiebatur, ut rationis usu destitutus, paucis post diebus vitam amitteret, mortuus die vigesima octava Martii anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo quarto.

Natus is erat Jouy paternæ ditionis castro in Normanica Provincia sito, illiusque Parentes fuerunt Carolus de Pelve Jouy, & Helena de Fay, porro is dein Biturigibus juri Canonico egregiam navans operam in eadem urbe hanc scientiam publice profitebatur, ac postea Parisiensis Senator, & demum libellorum supplicum Magister creabatur: anno autem Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio procurante Lotharingio Cardinale, cui plurimum addictus erat, ad Ambianensem Episcopatum ab Henrico III. nominatus fuit, & sexto post anno in Scotiam

tiam unacum quibusdam Parisiensis ^{Sæcul. XVI.}
 Academiæ Doctoribus ablegatus, ut A.C.1594.
 hæreticos ad veram fidem reduceret:
 verum regnante Francisco II. cum pax
 firmata esset, in Franciam reversus Am-
 bianensi Ecclesia relicta Senonensis
 Archiepiscopus eligebatur, & Cardina-
 lem Lotharingium ad Tridentinam Sy-
 nodum comitatus, acriter adversus Ec-
 clesiæ Gallicanæ libertates declamabat,
 quamvis sollicitatus fuisset, ut eas pro-
 pugnaret, dataque omni occasione tue-
 retur: postea in Francia agens anno sa-
 lutis nostræ millesimo quingentesimo
 septuagesimo a Pio V. Papa Cardina-
 lium Collegio adscriptus, nonnisi post
 duos annos Romam profectus est, ubi a
 Gregorio XIII. rubro galero ornatus titu-
 lum sanctæ Praxedis obtinuit: ab eo au-
 tem tempore per viginti omnino annos
 Romæ commoratus cum ingenti studio
 Franciæ Regum negotia ibidem procu-
 rabat, postea autem mutata animi sen-
 tentia immodico Zelo fœderatis adhæ-
 sit, unusque fuit ex illis viginti quin-
 que Cardinalibus, qui anno post Chri-
 stum natum millesimo quingentesimo
 octogesimo quinto subscripserant Sixti V.
 Constitutioni, qua Henricus Navarræ
 Rex, necnon Henricus Condæus Prin-
 cept anathemate percussi, ipsique, ac
 eorum posterum ad Francici Regni solium
 D d 5 inha-

Sæcul. XVI
A.C. 1594.

inhabiles declarati sunt: insuper Pelleveus vehementer adversus eundem Navarrum infurgebat, dum hic anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo nonagesimo tertio datis ad Parisienses Ordines literis illos ad obsequium sollicitabat: quapropter hic idem Cardinalis tubicinem, qui hæc Regis literas deferebat, fustibus expellendum, literasque comburendas censebat: præterea dum Henricus III. ea beneficia, quæ Pelleveus in Francia possidebat, usurpari jusserat, hic tum foederatorum ope, ac Pontificum subsidio indigus, inter pauperes Cardinales refugii locum obtinuit: nihilominus postea Henricus III. eidem anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo septimo ad finem vergente usurpatos beneficiorum redditus restitui curabat: postquam vero Lotharingius Cardinalis in comitiis Blefensibus anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octogesimo octavo vitam cum morte commutaverat, Pelleveus Rhemensi Archiepiscopatu auctus est, cujus tamen possessionem non nisi anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo nonagesimo secundo acceperat, ubi etiam cum Guisianæ familiæ Principibus conventum celebrabat: inde vero Lutetiam reversus, foederatorum Dux, ac Cleri Præses in comitiis

mitiis ab eisdem in præfata urbe celebratis nominabatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

§. CXIV.

Fæderatorum libelli Parisiis suppressi.

Subjugata Parisiensi urbe Joannes Seguierus Parisiensis Prætor primas eocuras intendit, ut omnibus Bibliopoliis, urbisque Typographis ad ædes suas convocatis præciperet, quatenus omnes feditiosos, famososque libellos contra Regem nunc regnantem, ejusque Prædecessorem a fæderatis divulgatos suppresserent, ipsi vero deinceps ejusmodi scripta nullatenus typis ederent, mortis, bonorumque proscriptionis poena constituta non modo illorum Auctori-
bus, ac venditoribus, sed etiam omnibus, qui ejusmodi libellos penes se retinuerint; demum etiam de revocando Parisiensi Senatu actum, prius autem Petro Pitæo dabatur negotium, ut Curiaæ archiva diligenter excuteret, & quicquid injuriosum, aut ad memoriam perniciosum per hæc bella decretum, scriptumve in iis reperiretur, seponeret, concerperetque, quod ille cum Guilielmo Vario, Senatus Consiliario, sedulo præstitit; insuper iisdem injunctum, ut ab Ecclesiis, conventibus, Monasteriis, Collegiis, Societatibus, aliisque locis publicis auferrent imagines, inscriptio-

Thu. l. 109.
Spond. hoc
ann. n. 14.

15. 11. 109.
Spond. hoc
ann. n. 14.

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.
 scriptiones, aliaque monumenta, quibus eorum, quæ Parisiis, cum hæc Urbs in foederatorum arbitrio relinqueretur, gesta fuere, memoria conservari posset. Eadem etiam die Rex, cum tranquillitate potitus Metropolim suæ potestati subjectam, seque a suis subditis amatum, & honoratum cerneret, de illorum affectu confisus copias secum adductas urbe exire iussit, referato duntaxat honorario satellitio.

§. CXV.

*Regis edictum pro restaurando Senatu
in Parisiensem favorem promulgatum.*

*Thuan. &
Coyet l. c.
Mem. de la
Lig. t. 6.
p. 80. & 92.*

Die vigesima octava Martii feria secunda Rex edictum, seu quamdam declarationem promulgari iussit, in qua fusius relatis omnibus, quæ gesta fuissent, præteriti delicti veniam Parisiensibus indulgit, omniaque eorum bona ærario regio adjudicata eis restituit, insuper cunctos privati pacti cum Brisfaco Comite, ut nuper memoravimus, initi, articulos ratos habuit. Eadem etiam die alio edicto ad Dovi, & Petri Amoii Consilarii sollicitationes Senatus, qui Parisiis remanserat, restaurabatur, quin adventus expectaretur illorum Senatorum, qui Turonibus, & Catalauni erant, quod tamen facinus

sanio-

faniores reprobabant, cauffati, quod hic honor debitus fuisset Magistratibus adeo fidelibus, qui sua bona litabant, imo ipsam quoque vitam suam pro Regis defensione exponebant.

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

§. CXVI.

Generalis Processio in memoriam Parisinæ Urbis in Regis obsequium revocatæ.

Altera die vigesima nona ejusdem Mensis Martii, quæ ab urbe in Regis potestatem tradita erat octava, solemnibus ibidem habebatur supplicatio, in qua sacræ reliquiæ, quæ in regio Sacello asservantur, circumferebantur, præsentate ipso Rege, omnibusque Regni, suæque Aulæ Ministris, qui illius latera stipabant, præter ingentem Procerum, & Nobilium multitudinem. Intererant quoque omnes Curiæ, urbisque Magistratus, omni populo tanta frequentia conflente, ut urbem per sex annorum bellum afflictam, ac morbis, & fame dire vastatam, proinde longe ultra mediam partem incolis suis depopulatam fuisse credi vix posset. Eadem occasione Carolus Mironus Andegavensis Episcopus in Ecclesia Cathedrali orationem prorsus eloquentem habuit: cum autem a tanta Auditorum multitudine excipi haud posset, hinc in

Thuan. l. 2.
Mem. de
l'Étoil. t. 2.
pag. 210.
Journal
d'Henry IV.
t. 1. p. 13.

Sæcul. XVI. in quadam Episcopalis Palatii aula quidam ex Ordine sancti Augustini Religiosus ad populum dicebat: præterea observabatur, quod omnes Religiosi Mendicantes huic supplicationi interfuerint, exceptis Fratribus Prædicatoribus, quibus interesse prohibitum, quin huius interdicti ratio eis manifestaretur. Porro hæc supplicatio deinceps passim nominabatur Regia supplicatio: Die autem trigesima ejusdem Mensis Senatus promulgato edicto cuncta, quæ Regiæ auctoritati, regniq[ue] legibus adversa vigente fœdere gesta fuere, tanquam nulla, & irrita declarabat, simul omnibus Regis subditis injungebat, ut deserto unionis studio Regiæ suæ Majestati obsequium, obedientiam, fidemque præstarent. Denique hanc supplicationem quotannis celebrari decrevit vigesima secunda Martii die, qua Parisiensis Urbs in Regis obsequium redacta fuit.

§. CXVII.

Seditiosi ex urbe Regis jussu expulsi.

*Mem. l. c.
p. 215. t. 2.
Satyr. Menippeæ edict.
17.6. p. 518*

Postquam hoc edictum fuerat promulgatum, eadem die ad Regionum Urbis Tribunos scheda, seu index mitebatur illorum, quos Rex sibi suspectos habuit, eosque tanquam homines Sexdecimanorum factioni penitus addictos

e Pa.

e Parisina urbe ejici præcepit. Erant illi numero octoginta sex: in eo autem edicto Tribuni cunctis, in hoc indice nominatis, significare jubebantur, Regis voluntatem esse, ut hi aliquam diu urbe excederent, si vero eorum nonnulli ad Maduanum Ducem sese recipere desiderarent, illis scripto securitatis cautio traderetur, his autem, qui sese Regi subjicere parati forent, fidemque suam juramenti Religione obstringerent, eorum bona, officia, & dignitates sartæ servarentur: verum ex omnibus illis, qui in hoc Indice erant designati, solum Carmelitarum Prior nomine Simon Fil-leulus, & Jacobus Julianus sancti Levii Parochus hac Regis gratia utentes sese ejusdem obsequio devovebant.

Sæcul. XVI.
A C 1594.

§. CXVIII.

Turonensis, & Catalaunensis Senatus Regis jussu Parisios ad-ventantes.

Demum Rex, postquam a primis cu-
ris liber Metropoli suæ de recto or-
dine, ac tranquillitate prospexerat, da-
tis literis Præsides, Consiliarios, & Se-
natus sui Turonium, & Catalaunum
translati Ministros monuit, ut nulla
mora Parisios contenderent, ibidem-
que in pristino, primoque suo Tribunali
justitiam administrarent. Sub idem
tempus

Thu. l. 109.
Avil l. 14.
Mem. de
l'Étoil.
pag. 224.

Sæcul. XVI. tempus ærarii Præsides, & Ministri,
A.C. 1594. necnon rei monetariæ, & tributariæ
 Judices eadem receperant mandata,
 unde infra Paschatis hebdomadam una
 omnes Parisios delati summo honore
 excipiebantur.

Vix autem hi Magistratus adven-
 rant, cum illico Regem salutatum irent,
 a quo etiam perbenigne excepti perce-
 perant, Regis mentem esse, ut præteri-
 torum nulla amplius haberetur recor-
 datio, cunctaque utrinque æterna se-
 pelirentur oblivione. Feria secunda
 die decima octava Aprilis hi Senatores
 ad Curiam accedentes pristinas sedes
 occupabant, cum vero immota fide
 Regi semper adhæsissent, ab eis novum
 fidelitatis sacramentum non exigebatur,
 prout tamen eorum socii Parisiis rema-
 nentes præstare jussi sunt. Postea Har-
 læus primus Præses forensibus exerci-
 tationibus more consueto initium fece-
 rat, ubi omnes tanto concordie vin-
 culo uniti videbantur, ut ab illa die nul-
 lum prioris diffidii vestigium reliquum
 esset. Ceterum antequam hoc fieret,
 die Sabbati decima sexta ejusdem Men-
 sis Borbonius Cardinalis Parisios vene-
 rat, quinimo singulis diebus omni ex
 parte quamplurimi confluebant Nobiles,
 quorum quidam nunquam a Regis fide
 defece-

desecerant, alii autem non ita pridem in gratiam recepti fuerant.

Sæcul XVI.
A.C. 1594.

§. CXIX.

Quatuor Facultatum conventus pro obedientia Regi præstanda.

Die secunda Aprilis Jacobus Ambrosius Medicinæ Doctor, regiusque Archiater, qui Antonio Vincyo aufferente Universitatis Rector die trigesima prima Martii creatus fuerat, Regem salutatum venit, comitantibus eum quatuor Nationum Procuratoribus, pluribus Doctoribus, aliisque Universitatis Ministris, qui una omnes ad Regis pedes provoluti in gratiam recipi, ac pro fidelibus subditis haberi impense rogabant. Placuit plurimum Regi horum subjectio: nondum vero inter Universitatis membra convenerat, quo subjectio- nis genere sese Regi devoverent: quorundam enim Theologorum tam ex profano, quam sacro cœtu congregatorum opinio eo abibat, quod Regem per regni sui Præsules a censuris fuisse solutum, minime sufficeret, sed insuper eundem a Papa admitti, & tanquam primogenitum Ecclesiæ Filium agnosci requireretur: ut ergo discors horum sententia conciliaretur, plures, iique admodum diuturni habebantur congressus

Thu. l. 109.
Mem. p. 218.
Mem. de la
Lig. t. 6.
pag. 98.

Hist. Eccles. Tom. LI.

E e sus

Sæcul. XVI
A.C. 1594.

fus: tandem solemnior cogeatur conventus feria sexta die vigesima secunda Mensis Aprilis præfente Reginaldo Belnensi, Bituricensi, ac postea Senonensi Archiepiscopo. Intererant quoque Regis nomine Dous Parisiensis Gubernator, necnon Antonius Seguierus urbis Prætor: tum vero novus hic Universitatis Rector Vir prudentia clarissimus unacum quatuor Facultatum Decanis, Navarrici Palatii Magistro, ac Sorbonici Collegii Seniore decernebat, Henrico IV. Regi obedientiam, submissionem, & fidelitatem jurata fide esse deferendam.

§. CXX.

*Publicum Universitatis monumentum
de jurata obedientia Regi
præstanda.*

*Mem. de la
Lig. t. 6.
l. c.
Argentre
Coll. jud.
t. 2. p. 505.
Avil. l. 14.*

EX Theologiæ Doctoribus quinquaginta quatuor numerabantur, qui hujus submissionis decretum concipiebant, quo factò fidei juramentum proponebatur hujus tenoris: „Notum sit hu-
„jus publici instrumenti tenore, quod
„die infra scripta comparuimus in aula
„Theologali Collegii Regalis Campaniæ,
„alias Navarræ, nimirum nos Jacobus
„d'Amboise Rector, Decanus veneran-
„dæ senectutis, & Doctores Regentes
„sacra-

„sacratissimæ Facultatis Theologicæ tam Sæcul. XVI.
 „sæculares, quam Regulares quinqu- A.C. 1594.
 „ginta quatuor in Urbe residentes, atque
 „in his Magnus Magister dicti Collegii,
 „Senior Collegii Sorbonæ, Syndicus
 „dictæ Facultatis, Priores, & Lecto-
 „res quatuor Mendicantium, & aliarum
 „Communitatum debite ad hoc congre-
 „gati cum Curatis almæ Urbis, Deca-
 „nus, & Doctores Regentes juris Pon-
 „tificii, Decanus cum Doctores sa-
 „luberrimæ Facultatis Medicinæ, nec-
 „non quatuor Procuratores Nationum
 „cum Decanis suis, Censoribus, artium
 „Magistris, & Collegiorum primariis,
 „& Pædagogis, cum plurimis schola-
 „ribus, & viris Religiosis omnium Or-
 „dinum, Conventuum, Minorum, Au-
 „gustinensium, Carmelitarum, Prædi-
 „catorum, Benedictinorum, Cistercien-
 „sium, Præmonstratensium, Canoni-
 „corum Regularium D. Augustini, Cru-
 „ciferorum, Servorum B. Mariæ, Guil-
 „lelmitarum, Mathurinensium, S. Ca-
 „tharinæ Vallis Scholarium, cetero-
 „rumque suppositorum, & officario-
 „rum dictæ Universitatis, atque ibi in-
 „vocato divini Pnevmatismis numine, Vir-
 „ginisque Deiparæ, & Sanctorum pa-
 „trocinis, proposuimus, & expendi-
 „mus ea, quæ Apostolorum Coriphæus
 „in

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

„in suæ Epistolæ cap. 2. sapientissime præ-
 „cipit *Deum timere, Regem honorare,*
 „*subjectos esse omni humane creaturæ pro-*
 „*pter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive*
 „*Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam*
 „*malefactorum, laudemque bonorum:* insuper
 „discufimus nonnulla dubia, quæ his tur-
 „bulentissimis temporibus moveri vidi-
 „mus de obedientia præstanda Henrico
 „IV. Dei gratia Francorum, & Navarræ
 „Regi Christianissimo Domino nostro,
 „& hujus Regni hæredi, successorique
 „legitimo, cum nonnulli male instructi,
 „& sinistris opinionibus imbuti scrupulos
 „varios in animos hominum injicere
 „tentarint, prætendentes, quod quam-
 „vis supra dictus Dominus Rex noster
 „sit amplexus firmiter, & ex animo
 „ea omnia, quæ Ecclesia sancta, Ca-
 „tholica, Apostolica, & Romana cre-
 „dit, & profitetur, tamen cum Bea-
 „tissimus Dominus Noster Papa eum
 „nondum publice admiserit, recogno-
 „veritque filium primogenitum Eccle-
 „siæ, dubium videatur illis, sit ne obe-
 „dientia interim penitus reddenda tan-
 „quam absoluto Principi, ac Domino
 „Clementissimo unico hæredi, qua de
 „re mature Concilio habito, gratis in-
 „super Deo, & toti Curie cœlesti actis
 „pro ejus tam manifesta conversione,
 „& fer-

„& ferventi erga S. Matrem Ecclesiam
 „Zelo, cujus nos etiam testes oculati
 „sumus, necnon pro tam pacifica hujus
 „Urbis reductione, descendimus omnes
 „cujuscunque *Facultatis, & Ordinis una-*
 „*nimiter, & nemine discrepante in eam sen-*
 „*tentiam, quod dictus Henricus sit le-*
 „*gitimus, & verus Rex, Dominus, &*
 „*hæres dictorum Regnorum Franciæ,*
 „*& Navarræ secundum leges fundamen-*
 „*tales ipsorum, eique obedientia ab om-*
 „*nibus subditis dictorum regnorum, & in-*
 „*colis præstanda sit sponte, & libere, prout*
 „*a Deo imperatum est, etiamsi hostes re-*
 „*gni, & factiosi homines usque hodie*
 „*obstiterint eum admitti a sanctissima*
 „*Sede, & agnosci tanquam filium bene*
 „*meritum, & primogenitum sanctæ*
 „*Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ,*
 „*quamvis per eum non steterit, neque*
 „*stet, ut notoreitate facti permanentis*
 „*palam sit omnibus, & cum nulla, ut*
 „*inquit D. Paulus, potestas sit, nisi a*
 „*Deo, idcirco qui potestati ejus resi-*
 „*stunt, Dei ordinationi resistunt, & sibi*
 „*damnationem acquirunt: itaque ut*
 „*supradictorum omnium major fides*
 „*constet, exemploque nostro quilibet*
 „*possit probare spiritus, qui ex Deo sunt:*
 „*Nos Rector, Decani, Theologi, De-*
 „*cretistæ, Medici, Artistæ, Magistri*

Ee 3

„secu-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1594.

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

„seculares, Regulares, Conventuales,
„& generaliter omnes Scholares, officia-
„rii, & alii supradicti sponte, & divina
„aspirante gratia in verba dicti Regis
„Christianissimi Henrici IV. corde, &
„ore juravimus cum omni submissione,
„reverentia, & fidelitate, atque adeo
„sanguinis nostri profusione ad hujus
„status Gallici conservationem, Lute-
„tiæque tranquillitatem, obedientiam
„Tempiternam, ut Domino, & Hæredi
„legitimo, & unico promissimus, & pro-
„mittimus, orationes, obsecrationes
„nostras, gratiarumque actiones publi-
„cas, & privatas pro eo, & omni ma-
„gistratu, & sublimitate faciendas de-
„crevimus.

„Omnibus fœderibus, & associatio-
„nibus tam intra, quam extra renun-
„tiavimus, & abrenuntiamus, & tactis
„ordine corporaliter sacro - sanctis Evan-
„geliis, Chirographi nostri, & sigilli
„appositione confirmavimus, & corro-
„boravimus. Contra vero sentientes
„ut abortivos de gremio nostro abscidi-
„mus, & privilegiis nostris privavimus,
„ac privamus, & abscindimus, per-
„duellionis reos, hostesque publicos, &
„privatos denunciavimus, atque omni-
„bus veris Orthodoxis Gallis, & sinceris
„Catholicis, ut idem faciant, tuta con-
„scien-

„scientia consilium, in quantum in no- **Sæcul. XVI.**
 „bis est, præstamus, & denuntiamus. **A C.1594.**

„Quapropter nos Rector, Decani-
 „que præcitati præsentem processum, ut
 „vocant, seu attestationem verbalem,
 „& authenticum instrumentum ad per-
 „petuam memoriam, & securitatem
 „conscientiarum confecimus, servata
 „apud nos scheda originaria ab omnibus
 „signata manualiter, & hoc in publi-
 „cum emisimus, manibus nostris, scribæ-
 „que Universitatis signatum, sigillorum-
 „que magnorum dictæ Universitatis,
 „& Facultatis sacratissimæ appensione
 „munitum. Datum, & actum Parisiis
 „in nostra Congregatione generali so-
 „lemniter celebrata anno millesimo
 „quingentesimo nonagesimo quarto die
 „vigesima secunda Mensis Aprilis san-
 „ctissimi Domini Clementis Papæ VIII.
 „anno tertio, & ejusdem Christianissi-
 „mi Franciæ, & Navarræ Regis Hen-
 „rici IV. anno quinto. „

Subsignarunt Jacobus d'Amboise
 „Academix Rector, Camus Decanus
 „Facultatis Theologicæ, Jacobus le
 „Fevre Pro-Decanus Curatus S. Pauli,
 „Adrianus d'Amboise Prædicator Regis,
 „magnus Magister Collegii Navarrici,
 „Jacobus Pillaguet Decanus Decreto-
 „rum, Blacuold Decanus Medicinæ,

Ee 4

„Me-

Sæcul. XVI., Medardus Bourgeotte Procurator
 A. C. 1594., Franciæ, Malherbe Procurator Pi-
 cardiæ, Jacobus Gueroult Procurator
 „Normaniæ, Gregorius Critonius Pro-
 „curator Germaniæ, Nicolaus Vigner
 „Procurator Fiscalis, Guilielmus du
 „Val Scriba Universitatis., Nunc quo-
 que percipiamus tenorem juramenti,
 quod deferre, eique subscribere iusti
 sunt.

§. CXXI.

*Juramenti ab Universitate præstiti
norma.*

*Mem. E^o
 Argentre
 pag. 508.
 Mem de
 l'Etoil t. 2.
 pag. 221.*

„Nos Jacobus Ambosius Rector almæ
 „Universitatis Parisiensis, Decanus,
 „& Doctores sacratissimæ Facultatis
 „Theologicæ, Decanus, & Doctores
 „Regentes saluberrimæ Facultatis Me-
 „dicinæ, Procuratores quatuor Natio-
 „num, Decani Provinciarum, Censo-
 „res ipsarum, Professores publici Regii,
 „Primarii Collegiorum, Regentes, Pæ-
 „dagogi, Magistri in artibus, Priores,
 „Religiosi sancti Benedicti, Cistercienses,
 „Augustinenses, Albi - Mantelli, Vallis
 „Scholarium S. Catharinæ S. Genovevæ,
 „& S. Victoris, quatuor Mendicantes,
 „& alii tam Regulares, quam seculares,
 „Supposita, Officarii, Scholares, & alii
 „subsignati juramus, & protestamur

„CO-

„coram Deo, & tactis sacro-sanctis Sæcul. XVI.
 „Evangeliiis, nos recognoscere corde, & A.C 1594.
 „intimo affectu Regem nostrum, &
 „Principem naturalem, & legitimum
 „Henricum IV. Regem Franciæ, & Na-
 „varræ nunc feliciter regnantem. Spon-
 „demus regiæ illius Majestati nos ser-
 „vaturos obsequium, & fidelitatem sub
 „vitæ etiam, & honoris dispendio cum
 „omni reverentia, & perfecta obedien-
 „tia, & ad conservationem hujus sta-
 „tus, & Coronæ, potissimum vero hu-
 „jus Metropolis Parisiensis sub ejus au-
 „ctoritate, & imperio, neque nos par-
 „cituos vitæ, fortunisque nostris, in
 „iis, quæ spectabunt ad illius servitium,
 „regniq; Gallicani tranquillitatem:
 „præterea promittimus nullam nos un-
 „quam partem, consortium, aut fœ-
 „dus habituros cum illis, qui se per-
 „duellionis scelere obstrinxerunt, ar-
 „mati contra regiam ejus Majestatem,
 „neque cum omnibus aliis, qui posthac
 „possent in dictum Regem Christianissi-
 „mum insurgere, quos omnes abomi-
 „namur, declaramus, & pronuntiamus
 „rebelles, hostes Galliarum publicos,
 „nostrosque privatos: renuntiamus om-
 „nibus factionibus, juramentis, fœde-
 „ribus, in quæ nos incurrere ante po-
 „tuimus occasione, & errore pernicio-

Sæcul. XVI
A. C. 1594.

„sarum tempestatum, contra, & in præ-
„judiciū præsentis declarationis. Re-
„cognoscimus humiliter accepisse nos
„de gratia speciali, bonitate, & cle-
„mentia, qua placuit Regiæ Majestati
„universos nos, & singulos amplecti,
„quibus de rebus nos illi ingentes, &
„quam maximas possumus, gratias ha-
„bemus, atque agimus, obsecrantes
„intimis visceribus Deum optimum, ut
„nobis diu, feliciterque eum Regem
„fospitem servet, atque incolumen, ho-
„stium suorum, nostrorumque victorem,
„& triumphatorem, in quorum testimo-
„nium nos sigillatim subscripsimus in
„Comitiis generalibus Academiæ Lu-
„tetianæ habitis in aula Theologica Re-
„galis Collegii Navarræ, alias Campa-
„niæ, die Veneris vigesima secunda
„Aprilis anno millesimo quingentesimo
„nonagesimo quarto.,,

Huic jurisjurandi formulæ præpri-
mis Universitatis Rector, ac postea om-
nes reliqui sua nomina apposuerunt.

§. CXXII.

*Jesuitæ, & Capucini huic formulæ
subscribere recusantes.*

Thuan. &
Argent.
l. c. p. 510.

Ceterum omnes Religiosorum Ordines
ad Universitatis exemplum hoc ju-
rumentum suo chirographo muniebant,
ex-

exceptis Jesuitis, & Capucinis, qui Sæcul. XVI.
A.C.1594.
tam subita rerum mutatione adhuc attoniti hærentes Pontificis auctoritatem esse expectandam contendebant: ejusdem quoque sententiæ paulo ante ipsamet Universitas erat, quapropter generali supplicationi die vigesima nona Martii habitæ interesse recusabat, hanc tamen culpam reparaturi Rector, & Facultatum Decani, aliaque Universitatis membra seorsim ad sacrum Palatii Sacellum supplicationem decernebant, ut pro felici Parisinæ urbis recuperatione Deo grates rependerent, ejusque opem pro Regis conservatione, armorum prosperitate, regniq[ue] tranquillitate implorarent.

§. CXXIII.

Lis contra Jesuitas ab Univerſitate Parisienſi reſuſcitata.

Hæc Jesuitarum repugnantia Parisienſi Univerſitati ad litem, qua illos jam a pluribus annis divexabat, rursus innovandam propitia videbatur occasio; quapropter die decima octava Aprilis habito conventu requirente Artium liberalium Magistro, nomine Burgeto unanimi suffragio ab omnium quatuor Facultatum membris decretum, quod Jesuitæ in jus vocarentur, atque ad

*Thu. l. 110.
Journal
d'Henry IV.
par l'Etoile.
t. 1. p. 29.
Mem. de la
Lig. t. 6.
pag. 199.
Argentre
pag. 510.*

Sæcul. XVI. ad prosequenda iudicii acta Iudices nominentur. Eam ob rem feria quinta die duodecima Maji Senatui Regio libellus supplex porrigitur, quo rogatum, ut is, cum Universitatis causa contra Jesuitas a tot annis interrupta, atque contentio suspensa fuerit, cuncta tamen argumenta contra eos allegata luce meridiana clariora essent, jam interposita sua autoritate hosce Patres non modo e Parisina urbe, sed toto etiam Regno expellere velit, quam in rem Regius Inquisitor innovatæ huic liti intervenire rogabatur: igitur Senatu ad Universitatis libellum respondente Jesuitæ comparere jubentur.

Pariter Claudius Duretus eorum Advocatus comparuit, ac die duodecima Julii oclusis foribus res apud Iudices agitabatur, & postquam Jacobus Ambasius Rector brevem latinum sermonem pronuntiaverat, Antonius Arnaudus celebris Advocatus Universitatis iura defendit, suæque actioni altera die finem imposuit, admodum acerbe in Jesuitas invecus; quos coloribus invidia plenis depingens ea usus est eloquentia, quæ illa ætate magni habita eidem celebris Oratoris nomen promeruit.

§. CXXIV.

§. CXXIV.

Sæcul. XVI.
A C. 1594.

*Alius Caussidicus pro Parisiensibus Pa-
rochis contra eosdem Jesuitas
perorans.*

Tertio post die, seu decimo sexto Julii Thu. l. 110.
Mem. de la
Lig. t. 6.
pag. 202.
Ludovicus Dolle pariter Senatus
Parisiensis Advocatus pro ejusdem Ur-
bis Parochis, qui pariter huic liti inter-
venerant, perorabat, exponens, quod
Jesuitæ in Parochorum jura involarent,
atque Hierarchiam ecclesiasticam per-
turbarent.

§. CXXV.

*Duretus Jesuitas in judicio de-
fendens.*

Postea Claudius Duretus pro Jesuitis Thu. l. 6.
Journ.
d' Henry
tom. 1. p. 35.
perorans haud operæ pretium cen-
sebat, ea refellere, quæ ab aliis Caussi-
dicis contra Jesuitas referebantur, qua-
propter paucis edicebat, quod tunc, si
Jesuitas accusare velint, contra eos ex
legum præscripto agere, non autem in
diçteria, & declamationes licentius ex-
currere oporteret, cum hi Patres de
suo agendi modo juxta consuetam ju-
dicii normam rationem reddere parati
sint, Universitas autem absque ulla ra-
tione hoice e regno expelli petat, eo-
quod edicto jam ante triginta annos
pro-

Sæcul. XVI. promulgato ibidem firmiter stabiliti
A.C. 1594. essent.

§. CXXVI.

Senatus mandatum de hac lite præscriptis actis prosequenda.

*Thu. l. 110.
Hist. Univ.
Paris. t. 6.
pag. 819.*

Jesuitæ cum potissimum amicorum suorum potentia inniterentur, eorum opem implorantes rem eo deducebant, ut ad impensas horum fautorum preces pronuntiaretur, disceptandum esse præscriptis actis: unde etiam Curia præceperat, ut Universitatis, & Parisiensium Parochorum libellus inter acta litis, utpote ab ea dependens reponatur, ut per unum, idemque decretum circa omnia jus dici valeat. Præ reliquis hac in occasione Jesuitis potentiori favore suffragabatur juvenis Cardinalis Borbonius, qui quamvis periculose decumberet, in libello tamen, quem hanc in rem Senatui porrigebat, de Antonii Arnaldi Advocati petulantia vehementer querebatur, affirmans, quod si per adversam valetudinem liceret, ipsius suum libellum porrigere vellet: insuper Rosnius Baro apud Regem potenter intercedebat, datisque ad Cancellarium, Regisque Senatum literis hanc Jesuitarum causam eis impense commendabat: præterea Nivernius Dux Senatui duos tra-

tradebat libellos supplices, significans, **Sæcul. XVI.**
 quod huic causſæ ideo validius patrocini- **A.C.1594.**
 naretur, quia Societatis Patres in Ni-
 vernenſi urbe, ac Collegio ibidem a ſe
 fundato præclara præſtarent obſequia,
 ac juventutem literis imbuerent. Deni-
 que tot alii Viri nobilitate conſpicui
 tanto ſtudio eis favebant, ut juxta ſen-
 tentiam Regii Inquiſitoris, cujus no-
 mine Antonius Seguierus verba facie-
 bat, Jeſuitæ, donec aliter proſpicere-
 tur, ſolitis exercitiis libere fungi, ac
 ulterius literas tradere permetterentur.

§. CXXVII.

*Juvenis Cardinalis Borbonii
 obitus.*

Borbonius Cardinalis haud diu vita **Thu. l. ITO.**
 ſuperſtes die Sabbati trigeſima Julii **Avil. l. 14.**
 circa ſecundam pomeridianam horam **Journal. l.c.**
 in ſua Abbatia ad ſanctum Germanum **pag. 37.**
 de Pratis obiit, nonniſi trigeſimum ſe-
 cundum ætatis ſuæ annum agens. Erat
 is quarto-genitus Ludovici Borbonii
 Condæi Principis, & Eleonoræ de
 Rauga Filius, natus Briæ in Ganda-
 loſia arce Anno Domini milleſimo quin-
 geſimo ſexageſimo ſecundo, præ-
 celluitque morum comitate, atque in-
 genii hilaritate, inſuper miram facili-
 tatem

Sæcul. XVI. tatem cum sermonis elegantia jungens,
A.C. 1594. literarum, atque eruditorum fautor
 egregius extitit, & quamvis ex Patre
 religione Calvinista natus inter hære-
 ticos educatus esset, vehementi tamen
 odio Protestantes insectabatur. Mor-
 tuo Carolo II. Patruo suo ad Rotho-
 magensem Archiepiscopatum nomina-
 tus, anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo octogesimo tertio a Gre-
 gorio XIII. Purpura Romana decoratus
 est: præterea obtinuit sancti Dionysii,
 sancti Germani de Pratis, sancti Ovan,
 sanctæ Catharinæ Rothomagensis, Bur-
 gelitanam, & Orcampensem Abbantias.
 Referunt nonnulli, hunc Cardinalem
 ex mœrore obiisse, eoquod eidem per
 Henrici IV. conversionem promissa
 Franciæ solium conscen-
 dendi spes succisa
 fuisset.

